

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

PROPONENS

PH. CAROLI HARTMANN

PRÆLECTIONES

IN PATHOLOGIAM ET THERAPIAM SPECIALEM

QUAM

AD MEDICINÆ DOCTORIS LAUREAM

RITE OBTINENDAM

IN ANTIQUISSIMO AC CELEBERRIMO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICICE HABUIT

FRANCISCUS STANISLAUS STUMMER

POLONUS WŁODAWENSIS

PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

1834

PIIS MANIBUS
PATRIS OPTIMI

IN
ÆTERNÆ GRATITUDINIS
MONUMENTUM
SACRAT



FILIUS.

P R Æ F A T I O

Dissertationis argumentum electurus, *Lectori* opusculum quoddam minime vulgare, sed praestans potius et selectum offerre adnisi sum. Quod cum proprio Marte praestare me nimis impotem libenter confitear, *Aliorum* bona atque utilia communicando operam vicariam navare mihi proposui. Hinc *Magni* mei *Magistri Ph. Caroli Hartmann* in *Pathologiam* et *Therapiam specialem* animadversiones *Lecturis* propono, quas *Clinices Vindobonensis Professor* ultimis *praeclarae Suae, eheu nimis brevis!* vitae diebus docuit, ego vero in quartum medicinae annum candidatus unacum meo amico *Joanne Bleyweiss*, quem nunc temporis *Vienae* medicinae laurea ornat, sedula manu collegi. — Non irascere *Sacra Umbra Sapientis Viri!* quando pervestigans quae *Tua* esse dicunt, *Tui* indigna reperies; indulge tyroni, quem nonnisi *pia Tui memoria* impulit, quae discipulis *Tuis Magister sapienter* profitebaris, publici juris facere.

Caeterum arbitror, me in hocce conatu *Amicorum* meorum atque *Collegarum* consensum eo magis promeruisse, quo haud dubio paucissimis nonnisi concessum fuerit, ultimas hasce *Magni* nostri *Professoris* praelectiones exaudire.

Patavii quarto Calendas Martii anni 1834.

SYSTEMATE NOSOLOGICO.

§. 1. **D**ividuntur morbi in *classes*, *ordines*, *familias*, *genera* et *species*, secundum *adfinitates* et *diversitates*, quibus distinguuntur.

§. 2. Variæ hæc divisiones repetuntur vel ex *nosologia*, (ex natura morbi), vel *aetiologia* (ex causa morbi), vel *symptomatologia* (ex morbi symptomatibus), vel *nosographia generali* (ex relationibus accidentalibus, v. g. ad tempus et spatium).

§. 3. Constituunt hæc variæ divisiones morborum systemata nosologica, quæ varia sunt apud varios auctores.

§. 4. Optimum est systema nosologicum, quod talibus principiis superstructum est, quæ ad morborum diagnosin et curam tutissime ducunt.

§. 5. Considerabimus hic primo morborum divisiones generales, in *classes* scilicet, quæ, ut supra dictum, vel ex nosologia, vel aetiologia etc. repetuntur.

§. 6. Divisio morborum, quæ fundatur *rationibus accidentalibus*, etsi non spernenda, non potest suppeditare supremum systema nosologicum, quia rationes externæ accidentales non ducunt ad cognoscendam naturam internam; hinc morborum divisio in acutos et chronicos; externos et internos; topicos et universales; intermittentes et remittentes; hæreditarios, congenitos et acquisitos; infantium, puerorum, juvenum, adultorum et senum; virorum et feminarum; non est maximi valoris.

§. 7. Idem valet de morborum divisione ex eorum *actiologia* deducta, sub quo respectu morbi in pandemios et sporadicos, endemicos et epidemicos, contagiosos et non contagiosos etc. dividuntur: nam 1.) morborum multorum causæ latent; 2.) una eademque causa varios potest producere morbos; 3.) unus idemque morbus varias potest agnoscere causas; 4.) ex cognita origine non semper perspicitur natura morbi.

§. 8. Omnibus systematibus nosologicis illud præferendum esset, cujus principium est *natura* morbi cognita. Tale systema nostris diebus adhuc desideratur.

§. 9. *Systema symptomatologiae* iunxit, etsi omnibus numeris absolutum esse non potest, tamen maguae est dignitatis.

§. 10. Medici omnis aevi studuerunt condendo supremo systemati nosologico, quod naturam morborum illustraret.

Antiquitas sua habuit systemata. Simplicissimum systema *Methodicorum* fuit, qui (Asclepias, Cornelius Celsus) omnes morbos in tres classes: in *a*) strictos (nimia partium strictura), *b*) laxos, et *c*) mixtos ex utroque dividebant.

§. 11. *Dogmaticorum* (quorum princeps Galenus) systema nosologicum in duas series divisum fuit:

1) morbi qualitatum; 2) morbi organorum. Morbi seriei primae in calidos, frigidos et mixtos; morbi seriei secundae in vitia formae, numeri, magnitudinis et compositionis organicae subdivisi erant.

§. 12. *Tempora recentiora* sua habebant systemata nosologica, quia nempe variis principiis nosologia superstructa erat.

Erant auctores, qui *principium materiale* agnoverunt, omnem morbum in materialibus mutationibus humorum fundatum putantes. Sic *Ch. Fr. Daniel* (*Systema aegritudinum*. Lipsiae 1781) omnes morbos ad classes decem refert:

1) nevroses; 2) sepses; 3) saburrae; 4) plethora; 5) pyogenia; 6) catarrheuma; 7) cachexiae; 8) conjunctiones; 9) dystrophiae; 10) morbi anonymi.

§. 13. Erant alii, qui *principium chemicum*, cujus auctor *J. B. Beaumés* erat, coluerunt, qui omnes morbos in quinque classibus comprehenderunt:

1. morbi ex oxygenio, (i. e. vel abundante vel deficiente oxygenii ratione); 2. ex carbonico; 3. hydrogenio; 4. azoto; 5. phosphoro.

§. 14. Recentissimis medicis systema nosologicum ex *principio dynamico* repetitum adrisit, cujus sectae duae erant scholae: 1. medici, qui *theoriam incitationis* professi erant; 2. medici, qui *naturae philosophiam* secuti sunt.

Theoriae incitationis auctor erat Brown, qui omnes morbos separavit in classes duas, locales et universales; hosque iterum in sthenicos et asthenicos; asthenicos, in directe et indirecte asthenicos.

Philosophiae naturae medici exhibuerunt morbos vitae sensiferae, irritabilis et plasticae.

§. 15. Intelligitur ex adlatis, diversas theorias dari, quod

non mirum est, si consideratur diversitas principiorum, ex quibus variae hae theoriae deductae sunt.

§. 16. Prae caeteris multi erant medici auctores, qui *systema symptomatologicum* adoptarunt.

Praecipua horum systemata sunt:

1. Systema symptomatologicum *Sauvages*, qui omnes morbos in classes decem disposuit: 1. vitia externa; 2. febres; 3. inflammationes; 4. spasmos; 5. anhelationes; 6. debilitates; 7. dolores; 8. vesanias; 9. fluxus; 10. cachexias.

Sauvages 295 genera, et 2400 species morborum exhibuit.

2. Systema symptomatologicum *Linné* habet undecim classes: 1. morbi exanthematici; 2. critici (febriles); 3. phlogistici; 4. dolorosi; 5. mentales; 6. quietales; 7. motorii; 8. suppressorii; 9. evacuatorii; 10. deformitates externae; 11. deformitates internae.

3. Systema symptomatologicum *Cullenii* quatuor classes: 1. pyrexiae; 2. nevroses; 3. cachexiae; 4. morbi locales.

4. Systema symptomatologicum *Hildenbrandii* praeter 1. pyrexias; 2. nevroses; 3. cachexias; 4. morbos locales, et 5. eccrises habet.

5. *Frank, Sprengel, Raimann* systema *Cullenii* magis extenderunt.

6. *Swediaurii* systema quinque classes comprehendit: 1. morbi febriles, seu pyrexiae; 2. disecrises; 3. diserethisiae et disaesthesiae; 4. cachexiae; 5. morbi locales.

§. 17. *Ploucquet* suum systema nosologicum non ex principio pathologico deduxit, sed ex principio *physiologico*, et septem morborum classes secundum varias hominum functiones statuit: 1. morbi systematis nervosi; 2. morbi circulationis; 3. morbi respirationis; 4. morbi nutritionis; 5. morbi excretionum; 6. morbi sexuales; 7. mutationes qualitatum corpori sensibilibus.

§. 18. Quod ego profitebor systema nosologicum tempus futurum revelabit.

CLASSIS PRIMA. — FEBRIS.

De febris generatim.

§. 19. Febris, omnium morborum frequentissimus, cum ipso genere humano nata esse videtur. Mater aut filia aliorum morborum nulli parcat homini, occurrit ubique gen-

tium, ubique locorum et temporum. Multis morbis accedunt febres, quos saepius exasperant, saepius etiam in salutem accelerant.

§. 20. Interrogantem: *quid sit febris?* interrogare debemus, quid intelligat et intendat cum hac quaestione, an de externa febris *forma*, au de interna illius *natura* cogitet? Primae quaestioni facile respondetur; secunda responsio multis premeretur difficultatibus.

§. 21. Omnis *adparens* morbi species symptomatibus suis a caeteris distinguitur, et sub hoc respectu non tam arduum est definitionem febris sistere.

Febris est morbus, qui calore corporis, praegressum frigus excipiente adaucto, pulsu concitato, coenaesthesi alienata, lassitudine singulari totius corporis, secretionum et excretionum turbis designatur.

Frigus, subsequens calor, pulsus concitatus, coenaesthesis alienata, lassitudo corporis, secretionum et excretionum turbae, complexum symptomatum (febris formae) sistunt.

Huic definitioni objicitur: frigus, aestum, pulsum concitatum observari, quin febris adsit. Concedimus hanc objectionem, si phaenomena illa non ex constante processu morbo interno, sed ex causis aut externis aut internis accidentalibus derivantur: quamprimum autem symptomata haec constantem internam mutationem morbosam sistunt, tunc febris adest.

§. 22. Nec desunt, qui febrim adesse contendunt, nec per frigus, neque per calorem et pulsum concitatum manifestam, v. g. febris intermittens larvata, et febris remittens, quae saepius sub forma convulsionis, doloris, insultus epileptici adparet.

Nec haec objectio veritate sua caret; sed qui inter morbum et morbi formam rite distinguit, non confundetur hac objectionem, et experientia confirmatum est, eundem morbum internum in alium morbum externum erumpere posse, i. e. sub alia morbi forma adparere.

§. 23. Aestus et pulsus concitatus principalia et necessaria febris symptomata sunt; sed haec symptomata non sunt sola, quibus multa alia accedunt, varia ratione composita, nunc initiora, nunc graviora, nunc silentia, nunc iterum in lucem erumpentia, quorum imaginem adaequatam historia decursus febris sistit.

Historia decursus febris stadia comprehendit, quae febris percurrere solet, quae stadia sequentia sunt:

1. Stadium prodromorum; 2. invasionis; 3. incrementi; 4. acmes; 5. decrementi; 6. lisis. (Stadium convalescentiae non ad febrim pertinet.)

I. Stadium prodromorum.

§. 24. Prodroma febris, seu symptomata prodroma, phaenomena morbosa dicuntur, quae valetudinem secundam languere indicant, quin adhuc determinatam febris formam denotent. Haec autem prodroma sequentia esse solent:

Homo sanus minus bene valere se sentit, jam ex consueto corporis motu singularem corporis lassitudinem et dedolationem persentit, mens fit languida, animus prostratus, facies tristis, somnus inquietus, et somniis turbatus. Illis accedit: appetitus imminutus, insolita caloris et frigoris externi intolerantia, horripilationes cum calore fugaci alternantes, secretiones et excretiones alienatae.

Quibus omnibus indicatur febrim non procul remotam esse. Illi prodromi per horas, dies, nonnunquam per hebdomadas extensi, ipsam febris invasionem inducunt.

II. Stadium invasionis.

§. 25. Hanc febris invasionem frigus adnuntiat a levi horripilatione ad frigus concutiens usque, imo ad rigorem nonnunquam increscens, nunc per brevius temporis intervallum, nunc per horas extensum, quod non tantum aeger adcusat, verum et adstantes in cute tactu distinguunt. (Distinguendum est duplex frigus: saepius solum sensus communis aegri est alienatus, ut nonnisi aeger frigus persentiat, saepius et ab adstantibus frigus persentiri potest.) Illum frigoris sensum ex medulla spinali oriri et ad corporis partes exteriores dirigi aegri dicunt. Quo magis frigus intenditur, eo magis cutis contrahitur, anserina fit, sicca et pallescens, hinc etiam venae cutaneae evanescent, et unguibus, labiis, nasoque caeruleis totum corpus a musculis quasi contractis tremit, dentesque concutiuntur. Spiritus interea fit brevior, difficilior, anxius, cor fortius pulsatur, et arteriarum, quae lumine privantur, pulsus fiunt minores, contracti. Aeger multum sitiens, nil transpirans, urinam pallidam aquosamque mittit; capitis simul dolore et insigni corporis lassitudine et dedolatione vexatur.

Omnia haec phaenomena, quae frigus comitantur, comparata adnuntiant: nisum in contractionem in systemate va-

sorum, in cute externa, in vasibus cutaneis et contextu celluloso praevalere. Ipsum frigus febrile multa habet communia cum frigore externo.

§. 26. Frigus, tempus statutum emensum, subsequenti calori cedit. Illic ab initio levior, frigore hinc inde intermixtus, solus dein imperium tenet, magis magisque ultra normalem intendendus, non a solo aegro, sed et ab aliis percipiendus, nec non a thermometro saepius indicandus (calor saepe ad 32.° Reaumur et ultra augetur). Eadem vero ratione, qua cutis incalescit, turgore etiam magis extenditur, et colore laetiore notatur; hinc facies turgida, rubra, oculi cum adspectu vividiori splendent, — et cum incremente calore etiam reliquae systematis sanguiferi functiones expediuntur: spiratio fit liberior, spiritum non raro calidiorem exhalans, cordis vero impetu composito arteriarum pulsus fiunt frequentiores, liberiores et magis aequales, quam sub frigore. Tamen secretionum organa nondum aperiuntur, lingua est sicca, sitis adhuc magna, cutis sicca, urinae parcae, et profundius tinctae.

Tanta autem systematis sanguiferi agitatio in systema sensiferum redundare debet: hinc dolor capitis, inquietudo, pervigilium, somnus somniis turbatus, imaginationis alienatio, subiinde deliria. Languet et vita systematis muscularis et functiones vitae plasticae, v. g. digestio, assimilatio, nutritio, etc.

Si nunc omnia symptomata, calorem comitantia, ad communem eorum fontem reducimus, invenimus: vitam irritabilem in systemate sanguifero exagitata, eodem simili tempore vitam sensiferam, in systemate cerebri praepriis, et vitam plasticam languere.

§. 27. Symptomata lucusque enumerata non in omni febre eodem ordine et eodem tenore adparent: nam sunt febres, in quibus nullum frigoris vestigium observandum; aliae, in quibus solum frigus partiale; aliae, in quibus calor frigori praecedens invenitur. Deinde nec caloris in omnibus tanta vis, nec pulsuum frequentia et celeritas observatur; imo febrium exempla ab auctoribus adducuntur, sub quarum decursu pulsus erat tardior; quod contingere potest, si organa nobiliora magnopere adficiuntur (v. g. sub congestionibus ad cerebrum, vel sanguinis circuitu per pulmones per impedimentum locale impedito). Deinde et horum symptomatum pro varia febris vehementia, pro varia illius natura, pro vario organo adfecto diversitas respectu intensionis, decursus etc. observatur.

III. IV. Stadium incrementi et acmes.

§. 28. Ipse autem calor febrilis, et quae calori socia se addunt symptomata, nunc per horas (febris intermittens), nunc per dies (febris ephemera), nunc etiam per hebdomadas (febris remittens) iucrescunt, donec ad summum gradum, ad illius acmen pervenerit, ubi pugna morbi cum vita exardescit, qua morbus corpus organicum maxima vi adgreditur, et organismus etiam maximis viribus morbo renititur, et sic dicta perturbatio critica contingit, in qua aegri sors decernitur. Si nunc vita victrix evadit, symptomata morbi decrescunt, et ab hoc tempore morbi decrementum exorditur, cuius stadium a veteribus stadium *criticum* dictum est.

V. Stadium decrementi.

Aeger nunc tranquillior faciem compositam exhibet, cutis minis aestuans est, magis turgida, humida, mollis; augetur transpiratio, quae mox per totum corpus sudorem largum et aequabilem spargit (sudor criticus), sub quo pulsus paccatus, mollior, minus frequens, — urina frequentius emittitur, minus quam antea tincta, aut turbida statim, aut mox turbanda, quae refrigerata sedimentum ponit crystallinum, copiosum, (urinae criticae). Eadem secretionum libertas in aliis membranis, praecipue mucosis restituitur, omnium primo in lingua conspicua, quae inde humescit, et purior fit. Ex eodem secretionis fonte aperto situs imminuitur, nares fiunt humidae, appetitus restituitur, et per alvum fit excretio.

§. 29. Hae soleuniores evacuationes criticae sunt, quibus febres frequentissime solvuntur, quibus attamen pro vario febris caractere et aliae evacuationes criticae accedunt; v. g. haemorrhagiae, vomitus, diarrhoea, sputa, exanthemata, abscessus.

§. 30. In quonam caeteroquin nexu evacuationes criticae cum morbo et morbi decremento sint, in pathologia generali explicare studui.

Rarae sunt febres, in quibus unicus processus criticus ad febrim sanandam sufficiat, quae *crisis perfecta* dicitur; sed plurimae non solvuntur nisi per plura molimina critica; quae crisis, si per plures repetitas exacerbationes absolvitur, *lysis* dicitur.

§. 31. Quo liberius procedant hae evacuationes criticae ad suam caeteroquin normam constitutae (evacuationes aliae symptomatae audiunt), eo magis etiam imminuuntur omnia

symptomata febris propria, quae tandem penitus silentia morbo finem imponunt; — a quo aegri convalescentia ingruit.

VI. Stadium finis.

Aeger nimirum a febre praepremis diuturna et graviore infirmus, emaciat, stimulisque impatiens (debilitas directa), somno nunc paulatim tranquilliore reficitur, nutrimentis, quae avidius appetit, facilius digerit et assimilatur, restauratur, et pristina vitae integritas per pabulum vitae ex aëre haustum reconciliatur. Priusquam autem convalescens pristinam hanc integritatem acquisierit, magna adhuc gaudet receptivitate pro potentiis externis, et magna aut ad febrim eandem, aut ad alium morbum dispositione.

§. 32. Ast vero non omnis febris tam benignam sortem adfert aegro, sed multae sunt, quae terminantur exitu malo; — ea autem mutatio dicitur *crisis mala*.

Mortem febres inducunt: vel viribus vitalibus aut nimia intentione (indirecte, v. g. febris inflammatoria), aut directa virium confectione et subtractione (v. g. febres pestilentiales); aut humorum vitalium (v. g. sanguinis) resolutione et evacuatione profusa exhaustis; aut organis nobilioribus ita adfectis, ut horum paralysis (v. g. per nimiam irritationem) inducatur, aut congestionibus ad haec organa illorum functiones retineantur, inflammationes, suppuratio, sphacelus, indurationes, concretiones provocentur; aut metastasibus a parte minus nobili ad nobiliorem factis; aut si febris per metaschematismum in febrim alius characteris, alius formae aut typi, aut in alium morbum afebrilem, cachexias varias, mala nervosa transeat.

§. 33. Hic est febris in genere spectatae ab initio ad finem suum decursus nunc majoris nunc minoris durationis, nunc per diem unum, plures, hebdomadas vel et per menses extensae, sub quo decursu ipsa febris vel contiua intenditur, vel minuitur et iterum concitatur, et per remissiones et exacerbationes, per paroxysmos et intermissiones variat.

Hic febris per varias temporis periodos decursus et progressus rationem in se continet mutationum, quas subit per *certa* temporum intervalla; unde fit, ut crises plurimarum febrium stadio quolibet septenario (i. e. quolibet 7.^o die) absolvantur. Quin tamen negemus febris crisiu quolibet alio die fieri posse (v. g. ex potentiis nocentibus, medicamentis adhibitis).

§. 34. Illicusque dicta ad morbum externum seu ad externam morbi speciem, aut formam febris relata sunt. Scientiae medicae nunc esset, morbum internum, i. e. naturam, aut, ut dicunt, *causam illius proximam* dilucidare.

Ad naturam morbi cujuscunque, in quantum intellectui patet, cognoscendam duplici via perducimur; nimirum 1.^o morbum et morbi naturam ex causis suis remotis deducendo, vel 2.^o morbi effectus, i. e. symptomata, ad causam proximam reducendo; — hinc tradita febris nosographia illius etiam aetiologiam exponere necesse est.

§. 35. In aetiologiam morbi cujuscunque inquirentes memorare debemus, ad geuerandum morbum quemlibet duo requiri momenta: *dispositionem* et *potentiam nocentem*.

Si nunc ea, quae ad febrim disponunt, consideramus, invenimus, omnem hominem ad hoc morborum genus dispositum esse (dispositio generalis): nihilominus homines sensiliores, irritabiliores, debiliores, teneriores, stimuli impatientes, iufantes, feminae, homines temperamenti sanguinei et cholericici, habitus corporis phthisici prae caeteris ad febrim dispositi sunt. Inter feminas iterum illae magis ad febrim inclinant, in quibus menstrua instant, fluunt, cessant; nec non puerperae. Dispositio maxima autem ad febrim reperitur in homine a febre conualecente.

Quae jam in homine adest dispositio augetur per anni tempora humida, frigida, clima variabile, certum vitae genus, nec non per animi affectus et pathemata diuturna; paucis verbis: omnes illi homines ad febrim magis dispositi sunt, in quibus systema sanguiferum ejusque irritabilitas reliquis systematibus aut absolute aut relative praeualet.

§. 36. Si omnes potentias nocentes, quae febrim causare possunt, enumerare vellemus, universam aetiologiam repetere deberemus; nam 1.^o omnes potentiae externae, quae vitam ultra quam par est, concitant, deprimunt, alienant, febrim excitandae occasionem praebent; huc pertinent calor et frigus externum nimis intensi, vicissitudines electricitatis in aëre, aër siccus et humidus, densus et rarefactus, purus et impurus, diversis mephiticis materiis impraegnatus, paludosus, nosocomialis; nutrimenta copia et indole peccantia; medicamenta fortiora, tenerioribus corporis partibus adplicata; uena, miasmata, contagia, potentiae omnes, quae texturam et structuram organicaam modo mechanico aut chimico laedunt; v. g. combustio, vulneratio, distensio, contusio, ossium fra-

ctura etc., ad febrim generandam symbolam suam conferre possunt. Illae sunt potentiae externae.

Tandem et illae potentiae, quae in ipso corpore humano generantur (i. e. internae), huc referendae sunt; uti immoderata mentis attentio, animi adfectus et pathemata, pervigilium protractum; abnormia vitae plasticae producta, sordes gastricae, chymus et chylus peccantes, vermes, calculi, pus, sanies; adfectiones et processus morborum varii generis, v. g. dolor, inflammatio, suppuratio, alienatio, viscera tumida, indurata etc., non exiguam potestatem in generandas febres exigunt.

§. 37. Illud tamen attentione dignum nobis esse videtur, quod inter potentias has nocivas nonnullae sint, quae vi febres provocante reliquis excellunt. Sub hoc respectu praecipuis *caloris* et *frigoris* vicissitudines, aër male constitutus, ejusque conditio *electrica*, attentionem merentur.

Illae enim potestates, corpus humanum continuo et undique adficientes, morbosam tandem diathesin inducunt, quam febrilem dicere nihil repugnat; cui si dein accedit alia adhuc inimica potestas, febris penitus excitatur.

Quod largus februm fons sit aër, febres endemice et epidemice grassantes testantur.

Singularem praeterea vim ad febres excitandas miasmata quaedam et contagia (v. g. exanthema variolosum, scarlatina, typhus contagiosus, febris americana) offerunt; irritantia denuo fortiora, quae systema sanguiferum vim agitantia, inflammationem producere valent.

Sed hisce non adfirmare volumus, omnem febrim ex irritantibus potentiis derivandam esse, cum experientia abunde pateat, febribus excitandis etiam causas debilitantes et vitam consumentes occasionem praebuisse.

§. 38. Sed quo magis differunt causae remotae, quae febrim generare possunt, eo difficilior erit *causae illius proximae*, seu *naturae* ex remotis cognitio.

Hanc in intelligenda febris natura difficultatem revera obstare, optime elucet ex opinionibus et sententiis diversissimis, quae hucusque de febris natura relatae fuerunt, computatis.

§. 39. Quae *veteres* ad *Galenum* usque de febre docuerunt, parum ad declarandam hujus naturam contribuere. Si enim *Erasistratus* ea ratione febrim nasci docet, quod sanguis abundans e venis ad arterias feratur, et in his (ar-

terius) spiritum aëreum turbet, et ita febrim excitet, certe nihil contribuit ad eruendam febris naturam. (Putabant enim tunc temporis, sanguinem solum in venis reperiri, in arteriis spiritum aëreum, et ita per errorem loci oriri febrim.)

Sic *Asclepias* febrim aestum abnormem dicit, qui ex corpusculorum stasi et attritu nascitur.

Sic et *Galenii* sententia: febrim nil aliud esse, nisi calorem praenaturalem, vel ex calido corpori iunato ebulliente, vel ex motu nimio, vel ex putredine, vel ex retenta respiratione calida ortum, parum luminis de febris natura spargit.

Galenii Opera, Basilae 1542, in libris de venaesectione versus *Erasistratum*. Eiusdem Opera de febribus edidit *Kühn*.

Caelius Aurelianus de morbis acutis et chronicis libri VIII. Amstelodami 1555 (in quibus *Asclepiadis* opinio legi potest).

§. 40. Haec *Galenii* de feбри doctrinam Graeciae, Arabiae et Europae occidentalis medici ad saeculum XVI. professi sunt, quo tempore *Paracelsus* omnem veterum medicinam penitus subvertebat. Sed etiam *Paracelsi* de feбри doctrina adeo obscura est, ut vix aliquid ex ipsa possit erui.

Paracelsi Opera Argentinae 1806 edita.

§. 41. Plus luminis de febris natura in *Helmontii* Operibus invenimus: cui febris adfectio morbosa ipsius vitae ejusque principii est, quod (principium) *Archaeus* nominavit, qui (*Archaeus*) stimulo alieno seu materia peccante peregrina incitatus, hanc ipsam materiam peregrinam eliminare nititur.

Haec febris consideratio primum certe fundamentum definitionibus recentiorum et recentissimorum auctorum supeditavit.

§. 42. Faciem magis chemicam doctrina *Sylvii* offert. Secundum *Sylvium*: ignis, ex sanguinis utriusque ebullitione ortus, sanguinem rarefacit, et cor et arterias ad actiones alacriores excitat. Sanguinis autem ebullitionem acria eidem admixta, sive alcalina sive acida causant.

§. 43. Non multum ab hac *Willisii* de feбри idea abluit, qui nil in feбри nisi fermentationem invenit, in quem sanguis et reliqui humores abripiuntur, si materiis peregrinis impraegnantur, et quibus expellendis et eliminandis sanguis admittitur.

§. 44. Nunc jam *nervis* praecipuam in febrim excitandam partem tribuere inceperunt medici.

Borelli, Jatro-mechanicorum princeps, febrim a succo nerveo acriori cordi influente, illudque ad motus alacriores concitante derivat.

§. 45. *Thom. Sydenhamus* in feбри nil aliud, nisi naturae conamen impura a puris secernendi invenit.

§. 46. *Ernest. Stahl* huic naturae animam substituit, quae anima motum febrilem excitat, ut sanguis abundans aut eliminetur, aut resolvatur.

§. 47. Profundius in febris naturam *Fred. Hoffmann* penetravit, qui febrim adfectionem spasticam nervorum appellat, qua fit, ut humores a systematis sanguiferi finibus ad cor repulsi, ab hoc iterum reactione alacriore ad vasa minora repellantur.

§. 48. *H. Boerrhaave* febrim acceleratam cordis contractionem nuncupat, cum aucta in vasis capillaribus resistentia, quae (contractio) excitatur partim per majorem influxum nervorum, partim per majorem sanguinis quantitatem in cor influentis.

§. 49. *W. Cullen* quoque principem febris causam in systemate nervoso ponit, cujus vitalitas infirmata in causa est, ut antagonistiche reactio vitalitas in systemate vasorum augetur (status passivus).

§. 50. Ab *F. Braunii* de feбри doctrina nil aliud discimus, nisi quod febris sit sthenia vel asthenia cum pulsu inordinato.

§. 51. Cum recentiores hi febrim ex mutatis rationibus vitalibus explicare studuerunt, non deerant alii, qui febrim ad *chemicam* materierum organa constituentium mutationem reduxerunt, quorum duces *Reich*, *Reil* et *Akermann* fuerunt.

§. 52. *G. C. Reich* omnem febris culpam in oxygenium deficiens conjecit; quo subtracto, materiae organicae mixtio abnormis causatur, et inde febris.

§. 53. *F. F. Akermann* proximam febris causam in aura oxygena, quae in corpore humano accumulata in causa est, ut plus expandentis in corpore evolvatur, quam necesse est, et sic per totum corpus diffundatur; inde motus febriles.

§. 54. *J. C. Reil* omnem febrem ex alienata materierum organa constituentium mixtione repetit; qua fit, ut et illarum vires et processus vitales a norma secedant; et inde febris.

§. 55. *C. W. Hufeland* ex mutatis rationibus materialibus

exaltatam nervorum sensibilitatem et sanguinis irritabilitatem derivat; et inde febrim.

§. 56. *S. F. Harles* ad abnormem antagonismum inter systema nervorum et vasorum respicit, qui in vasis minimis incipiens ad organa centralia propagatur.

§. 57. *Nec rationes electricae* in dilucidanda febris natura neglectae, sed praepremis ab Anglo medico *J. Jones* ingeniose adhibitae sunt.

J. Jones sic argumentatur: febris cum vitae quadam inertia incipit, quae a systemate nervorum ad systema vasorum transfertur, unde sanguinis circulo languente, hujus in viscerum venis accumulatio fit: sanguis autem in venis stagnans electricum ex sanguine arterioso minus avide suscipit, unde hic sanguis arteriosus principio electrico gravior, majorem arteriis et cordi stimulum addit; indeque febris.

§. 58. Plures alii, egregii caeteroquin viri, hucusque a nobis nominati non sunt, quia non suam, sed aliorum auctorum opinionem profitentur. Huc pertinent: *Sele*, qui ex idiosyncrasia nervorum alienata et sanguine peccante causam febris deducit; *Stoll, Vogel, Elsner, Richter, Frank, Hildenbrand, Conradi*, qui omnes in feбри morbum vident, vel ex systematis sanguiferi irritabilitate ultra normam adaucta, vel ex stimulo quodam acriori, vel ex momento utroque ortum.

§. 59. *Philosophia naturae* doctrinae de febribus plus splendoris quam luminis attulit. Sic *Adolph. Marcus* in feбри et inflammatione unum eundemque morbum invenit; uterque morbus irritabilitatem adfectam et contractionem praevalem supponit, sola systematis eminenter adfecti diversitas diversum febribus characterem imprimit; contractio praevalens in vasis arteriosis, synocham; irritabilitas venarum alienata, synochum; vasa nervorum adfecta, typhum; adfectiones vasorum lymphaticorum, febrim intermittentem sistunt.

§. 60. *Troxler* in omni feбри nonnisi conflictum inter morbum et convalescentiam reperit. *Walch* eundem conflictum inter systema nervorum et vasorum assumit.

§. 61. *F. Baumgartner* omnem febrim ab adfectione morbosa vasorum nervis prospicientium derivat.

§. 62. Omnibus his de feбри ejusque natura doctrinis perlustratis et inter se comparatis, omnes fere in eo consentire reperies, quod in feбри conflictum inter sanguinem et vasa

illum continentia abnormem inveniunt, cujus causam proximam nonnulli in sanguine, alii in vasis, alii in utroque momento simul positam esse credunt.

Qui *solum* sanguinem accusant, ad vim illius stimulantem, limites praescriptos excedentem, respiciunt, quam vel ex praevalebentibus in eodem principiis subtilioribus: calore, aura oxygena, electrico, vel ex nimia sanguinis copia, vel ex peregrinis sanguini admixtis, acrioribus repetunt.

Quin in *vasis* sanguinem continentibus causam proximam febris quaerunt, cordis et arteriarum facultatem motricem (irritabilitatem) exaltatam supponunt, quae vel ex principio quodam proprio, vel ex aucto vitae sensiferae influxu derivanda est; solis tamen *Cullenio* et *Jonesio exceptis*, qui in vi vasorum debilitata febris causam ponunt.

Attamen, cum sub morbis systematis sanguiferi neque solus sanguis, neque sola vasa aegrotare possint, magis utique illorum sententia comprobanda est, quae *utrumque momentum simul* pro proxima febris causa declarant.

§. 63. Nihilominus neque solus conflictus inter sanguinem et vasa ultra normam concitatus totum, qui subest, explicat morbum. Si enim omnia, quae febrium ab initio ad finem usque comitantur phaenomena, accuratius consideraverimus, concentum inter vitam sensiferam, irritabilem et plasticam ea ratione turbatum invenimus, ut systema sanguiferum caeteris systematibus vel *absolute* vel *relative* praevaleat: omnis enim febris.

1.^o Symptomata offert, quae vitam sensiferam, quatenus sensibus et motui musculari prospicit, languentem aut suppressam testantur: hinc singularis lassitudinis sensus, impotentia motus muscularis, tremor artuum, vertigo, sensuum torpor, aut stimulorum in iisdem impatientia, memoria languida, animus prostratus, functionum genitalium silentium.

2.^o Sic et febris symptomata nunquam deficiunt, quae vitam plasticam in functionibus suis retentam adnuntiant; hinc appetitum prostratum, digestionem et chyli elaborationem vix ullam, nutritionem parcam, secretionem imminutam aut profusam referimus.

3.^o Quod tandem phaenomena in ipso systemate sanguifero conspicua: aestus, pulsus frequens et celerior, vitam in eodem systemate rapidiorem indicent, nemini ignotum est.

§. 64. Magni tamen momenti et omni attentione dignum est, quod vis, qua systema sanguiferum reliquis systematibus

praevalet, non in omni febris absoluta sit, sed in multis casibus *relativa*, in quantum scilicet alia systemata prostrata sint, et hoc (systema sanguiferum) non respectu roboris, sed *alacritatis* vigeat.

Hac distinctione neglecta, non omnem febrim comprehendit definitio antea data.

§. 65. Sed quid est in corpore humano vivo, quo concensus vitalitatis inter systemata ita turbatur, ut systema sanguiferum caeteris aut absolute aut relative praevalcat?

Quod si omnia, quae systemati vasorum sub febris accidunt, consideramus, omnia in eo convenire observantur, quod excedentem in eodem *principiorum subtiliorum* rationem: calorigeni praeparatis et electrici supponant. Hisce non tantum calor, quem aeger percipit, et thermometro explorari potest, sed et sanguinis expansio, turgor adauctus, major cordis irritabilitas, pulsus frequentia et celeritas, et major, qui febris adhaeret, in inflammationem nisus explicantur.

Quae vero si ita sint, quaestio antea posita ita verti potest: quid est in corpore humano vivo, quod excedentem et constantem caloris animalis evolutionem sustinet? An moles sanguinis? an oppositio dynamica inter sanguinis principia adaucta? an nervorum efficacia vitalis in systema sanguiferum, ultra quam par est, intensa? an aequilibrium inter diversas systematis nervosi provincias ita sublatum, ut praecipua vitae sensiferae vis in partem systematis gangliosi convertatur? an organorum systema sanguinis circumdantium facultas calorem animale et electricum conducendi ita alienata, ut nunc plus caloris aut electrici adtrahant et transmittant? an eadem facultas conducendi, in iisdem ita imminuta, ut caloris et electrici in partibus internis, v. g. in corde, accumulatio fiat? an organorum ad corporis animalis limites positorum, v. g. cutis etc. vita propria ita a norma recedens, ut eadem organa commercium (v. g. electricum) alacrius cum rebus externis (v. g. aëre) ineant, quam par est?

§. 66. Sed non arduum est intelligere, horum momentorum nonnulla, et non omnia omni febris subesse posse: alium certe processum morbosum febris inflammatoria, alium nervosa, alium putrida involvat, necesse est; sic et febrim intermittentem, febrim catarrhalem, rheumaticam, exanthematicam suas rationes pathologicas, easque proprias agnoscere, facile evincitur.

§. 67. Quamvis igitur omnibus febribus aliquid commune

insit, singulis tamen peculiare aliquid adhaeret, ita quidem, ut magna sit inter illarum naturam, formam, decursum et discrimina diversitas.

Ut nunc alteram ab altera distinguere, singulam rite intelligere et curare possit medicus, febrium divisione et in ordines dispositione opus habet, quam nunc trademus.

De febrium divisione.

Febres nunc ex vario respectu varie dividuntur.

§. 68. *A.* Prima et gravissima febrium divisio ex *diversa illarum natura*, seu ex diverso *charactere*, seu ex diversa, quae febrim subest, vitae adfectione repetitur. Et sub hoc respectu febres

- 1.º in *hyperdynamicas* aut *hypersthenicas*,
- 2.º in *adynamicas* aut *asthenicas* dividuntur.

Febris hyperdynamica, vel hypersthenica, vel febris characteris *activi*, febrim designat, quae vitam systematis sanguiferi concitatam exhibet cum robore interno aut eodem constante, aut ultra normam intenso.

Febris adynamica, vel asthenica, vel characteris *passivi*, est febris quae vitam systematis sanguiferi praecipitatam quidem ostendit, sed cum robore interno manifeste infracto. Utamque hanc febris familiam ita subdividimus, ut

- | | | |
|---------------------------------|---|---|
| febrim <i>hyperdynamicam</i> in | } | Genus I. febrim <i>erethicam</i> ,
et
Genus II. febrim <i>inflammatoriam</i> , |
| febrim <i>adynamicam</i> in | } | Genus I. febrim <i>adynamico-nervosam</i> ,
et
Genus II. febrim <i>putridam</i> |
- separemus.

Febris erethica, febris cum simplici erethismo, febris subinflammatoria, quam Richter febrim neutrius generis nominat, est febris, sub qua vitae systematis sanguiferi *alacritas* potius, quam energia interna intensa conspicitur, et quam nulla sanguinis dyscrasia concomitatur. (Sanguis sub hac febre e vena missus nullam offert crustam inflammatoriam.)

Febris inflammatoria in sensu stricto, est febris, quam vitae systematis sanguiferi in omnem respectum, non solum quoad celeritatem, sed et vitam internam concitatio in lucem

prodit, et cui major nisus ad generandam et secernendam lympham plasticam adhaeret (sanguis cum crusta inflammatoria).

Febris *adynamico-nervosa* est febris adynamica cum eminente systematis nervosi adfectione.

Febris *putrida*, vitae in systemate vasorum adynamiam eo delatam supponit, ut nisus in resolutionem in corpore animali, et praepremis in sanguine praevaleat.

Inter haec febrium genera haec adfinitas experientia comprobatur, quod nempe febris erethica in inflammatoriam, nervosa in putridam per intensionem transire amet. Attamen inde nondum sequitur, haec febrium genera solo gradu a se differre, cum omnia quae febri comitantur phaenomena suadent, vitam in qualibet febre suo modo respectu *indolis internae* peccare.

§. 69. *B.* Altera febris divisio earum quasi *focum* respicit, eam nimirum corporis animalis partem, cujus adfectio morbosa febri vel excitat, vel exasperat, vel quae potissimum illius impetum experitur; hinc divisio in febres *gastricas, catarrhales, rheumaticas*.

§. 70. *C.* Huic adfinis alia febrium divisio est, qua febres in *idiopathicas* et *symptomaticas* dividuntur: prout febris ex potentiis nocivis nata, morbum principalem constituit; aut alii morbo accedens, huius quasi symptoma efficit.

Sub hoc respectu febres gastricae, catarrhales, rheumaticae, exanthematicae ad symptomaticas numerandae erunt; imo sunt, qui nullam plane febri idiopathicam admittunt auctores, omnem febri, qua florem cujusdam morbi, in organismo positi, declarantes.

§. 71. *D.* Huic etiam febrium in *primarias* et *secundarias* divisio spectat, cujus ratio ex pathologicis explicatur.

§. 72. *E.* Febres porro in *simplices* et *compositas, puras* et *complicatas* distinguuntur.

Febris *simplex* est morbus totum corpus animale modo magis aequali adficiens, et simplicem adfectionem aut totius corporis aut vasorum offerens.

Febris *composita* est febris, cui organorum quorundam adfectio gravior accedit, cum ipsa tamen adfectione hac locali in nexu causali cohaerens (v. g. febris inflammatoria cum inflammatione locali).

Febri *puram* vocant, quae hominem tenet ab alio quocumque morbo immunem.

Febri *complicatam*, quae aegrum adgreditur, alio ad-

huc morbo a febre diverso adfectum (si v. g. syphilidi accedit febris).

§. 73. *F.* Respectu *celeritatis*, qua cursum absolvunt febres in *acutas* et *lentas*; respectu *typi*, quem per decursum observant, in *continuas* et *intermittentes* dividuntur: continuas in febres *continuas continentes* et febres *continuas remittentes* subdividuntur.

§. 74. *G.* Celebrata etiam est febrium pro diversa causa sua aut latius extensa, aut magis circumscripta, in *sporadicis* et *pandemias*, et harum iterum in *epidemicas* et *endemicas*, divisio.

Epidemicas iterum in febres epidemicas *stationarias*, febres epidemicas *annuas*, et febres epidemicas *intercurrentes* subdividunt.

Non exiguae est dignitatis febrium in endemicas et epidemicas divisio, cum *constitutionis regnantis* aestimatio non parum ad morbum cognoscendum et curam instituendam contribuat.

§. 75. Haec nunc divisionis elementa medici ad constituendum systema febrium nosologicum cum vario successu adhibuerunt.

In eo practicoꝝ principes conveniunt, quod *typus*, quem febris per decursum observat, divisionis fundamentum sistat, ex quo febres in *ordines* separantur, *duos* ordines stantes, quorum 1.^o *febres continuas*, 2.^o *febres intermittentes* comprehendit.

§. 76. In disponendis febrium *generibus* medici *Hippocratici* ea ratione inceserunt, ut tot genera statuissent, quot quotidiana experientia iis obtulit, de logico systematis principio minus solliciti. Unde factum est, ut febres nonnullae generum loca teneant, quae accuratius consideratae ad species referendae essent. Hoc in divisionibus confirmatum videmus, quas clarissimi caeteroquin viri *Sauvages*, *Linné*, *Vogel*, *Swediaur* proposuerunt.

Sauvages 5 genera assuit: febris ephemera, synocha, synochus Galeni, typhus Hippocratis, hectica Galeni.

Linné 4 genera: febris diaria, synocha, synochus, lenta.

Vogel 8 febris genera statuit: feb. ephemera, inflammatoria simplex, biliosa, putrida, pituitosa, nervosa, hectica, exanthematica.

Swediaur 7 genera admittit: diaria, sthenopyra (febris sthenica), asthenopyra (asthenica), phlegmapyra (pituitosa),

septorrhoea (putrida), loimopyra (pestilentialis), ochropyra (febris flava).

Omnes hae divisiones communi vitio laborant, quod unam eandemque divisionem non ex uno principio, sed ex pluribus fecissent, mox ad decursum, mox ad naturam, mox ad partem adfectam respicientes.

§. 77. Recentioribus febrium genera ex sola earum *natura diversa* repetenda esse visum est; pro varia tamen idea, quam de natura febrium habuerunt, diversae iterum divisiones ortae sunt.

§. 78. Hippocrates noster *Stoll* quatuor characteres cardinales, characterem inflammatorium, putridum, biliosum, pituitosum assumit; indeque febres in 4 genera dividit: febrem inflammatoriam, feb. putridam, feb. biliosam, et pituitosam.

§. 79. *W. Cullen* 3 genera febrium admittit: synocham, typhum, et synochum.

§. 80. *Frank* etiam 3 genera statuit: febrem inflammatoriam, nervosam, et gastricam.

§. 81. *Reil* synocham, typhum et paralyzin ad suprema febrium genera refert.

§. 82. *Hildenbrand* *Stollii* divisionem in ordinem *physiologicum* disposuit, et statuit:

1. febrem cum praevalente adfectione systematis sanguiferi;
2. » » » » » nervosi;
3. » » » » » reproductivi.

1.^a febrem inflammatoriam et putridam, 2.^a nervosam, 3.^a gastricam et hecticam comprehendit.

§. 83. Divisionem febrium ab omnibus his diversam nuper *Baumgartner* tradidit, febresque in 2 classes sejungit.

Classis I. febres ab adfectione paralytica *nervorum* vasis sanguiferis prospicientium repetendae, et

Classis II. febres ab irritatione abnormi ipsius *systematis sanguiferi* oriundae.

Classis I. unicum genus, febrem *nervosam* continet.

Classis II. in *duos ordines* secedit:

Ordinis I. genera sunt:

- a) febris *irritativa simplex*;
- b) » *ex consensu*;
- c) » *intermittens*.

Ordinis II. genera sunt:

a) *irritatio specifica* omnes febrium species complectitur, quae cuidam contagio originem debent.

b) quae certae sanguinis *dyscrasiae* originem debent, huc febris inflammatoria, pituitosa, biliosa (flava), putrida, hectica pertinet.

§. 84. Ex his abunde patet, febrium genera ex vario respectu in varium ordinem disponi posse, neque diversam hanc divisionem utilitate sua practica carere.

§. 85. Ego cum clarissimo *Raimann* in eam sententiam trauseo, febrium genera ex diversa earum *natura* repetenda esse, ex morbosa vitae adfectione, quae febribus subesse potest. Quod si febrim morbum dico, ex sublato functionum vitalium concentu cum vita systematis sanguiferi aut *absolute* aut *relative* praevalente, ipsa haec febris *duplicem* naturam enuntiat, et hac de causa omnes febres in *duas familias majores* divido.

Character familiae I. est *absolutus vitae systematis sanguiferi excessus*, et hic constituit febrim *hyperdynamicam*.

Character familiae II. est *ejusdem systematis sanguiferi vita relative praevalens*; praecipitata nempe alacritate, sed cum robore infracto, et huc febris *adynamica* spectat.

Vitae abnormis, qualem febris *hyperdynamicam* involvit excessus, *duplicem* modum, quo peccat, praeseferre potest:

a) cum robore sat valido, attamen *non nimio*, et excedente *alacritate*, absque conspicua sanguinis dyscrasia. Huc pertinet febris *erethica*, seu, uti dicitur, irritativa simplex, subinflammatoria.

b) cum *robore et impetu simul excedente*, nisique plastico in sanguine ultra normam intenso. Huc spectat febris *inflammatoria*.

In febrim *adynamica* debilitas, quae vitam systematis sanguiferi quamvis alacriorem premit, vel

a) ad vitam sensiferam propagatur, vel in ipsa hac (vita sensifera) fontem reconditum habet, quin manifesta sanguinis dyscrasia adsit. Hujus loci febris *adynamico-nervosa* est.

b) aut etiam systematis sanguiferi vigor eo usque delabitur, ut processu plastico vix non extincto sanguinis in resolutionem nisus praevaleat. Refertur huc febris *putrida*.

§. 86. Secundum haec, *quatuor* essent *characteres febrium generales* (erethicus, inflammatorius, adynamico-nervosus, putridus), hinc etiam *quatuor suprema febrium genera*.

§. 87. Nonne vita in systemate vasorum vigens, praepriis plastica, *aliis* adhuc aberrationibus obnoxia, alias adhuc

sanguinis dyscrasias gignere potest, quae alium et a dictis his quatuor characteribus diversum febris characterem imprimere possunt? Nonne certae febris gastricae *species*, v. g. biliosa, pituitosa, cum *universali* vitae plasticae vitio in certis casibus in nexu sunt?

§. 88. Hoc ego quidem negare non audeo, neque conamini eorum, qui febres gastricas generibus adjungunt, penitus renitor: attamen illud circa haec adnotandum habeo, huius febris diagnosis nondum absolutam esse, quum adhuc interrogari possit: cujus characteris *cardinalis*, an erethici, an inflammatorii etc. sit febris?

§. 89. *Species* febrium ad genera reducendae a variis auctoribus ex vario fonte repetuntur: subinde ad febris *compositionem*, ad *organa eminenter adfecta* respiciunt, v. g. febris inflammatoria simplex, febris inflammatoria biliosa, febris inflammatoria rheumatica; nonnunquam ad febris *decursum* et *typum*, v. g. febris nervosa acuta et lenta, febris intermittens quotidiana, tertiana, etc.

§. 90. Non desunt tamen casus, ubi medici in statuenda diagnosi saepe speciem in generis locum, et genus in speciem ponunt.

De prognosi febrium in genere.

§. 91. Perspecta quousque licet febris natura, atque definitis ejusdem generibus, speciebus, et rationibus singularibus, medici etiam est, morbi in aegrum vim rite aestimare, et quae huic ex febre imminet, sortem praenoscere et praedicere.

§. 92. In statuenda hac febris prognosi insidiosae hujus naturae medicus nunquam immemor esto: nam quamvis naturae vis medicatrix in febre magna sit, quamvis febris aliis morbis in auxilium adcurrat, et morbos inveteratos accelerans tollat; saepissime tamen, quamvis facie mitissima fallens, in morbum perniciosum convertitur, et longe maxima hominum pars a febre traditur orco.

Haec autem inimica febris in vitam animale vis ex generali febris natura et illius effectibus inde oriundis elucet: aegrotat enim systema, quod omnis vitae fons est.

Effectus *frigoris* et *caloris* magnam febris dignitatem docent.

Sublatum functionum concentum enuntiat frigus. *Frigus* fixa contractione, quam in systemate sanguifero provo-

cat, graves saepe in aliis partibus adfectiones spasticas, et nonnunquam convulsiones universales producere valet (v. g. saepe sub febris intermittente).

His accedit, quod sanguis a vasis et partibus exterioribus imminuta capacitate ad interiora repulsus, in internis partibus, v. g. cerebro, pulmonibus, corde, hepate, accumulatur; unde vasorum, praepremis venarum dilatatio, humorum stagnatio, e vasis suis effusio, secretionum retentio, viscerum tumores, motuum vitalium impedimenta, sopor, apoplexia, difficultas respirationis, hydropes, et alia mala oriri possunt.

Calor, qui deinde evolvitur, sanguinem expandit, vim illius stimulantem auget, cordis irritabilitatem acuit, omnem sanguinis conflictum vitalem cum reliquis partibus organismi intendit, unde illius per vasa minora motus impellitur, stagnantia expediuntur, coagula liquescunt, tumores resolvuntur, processus morbosi, qui adsunt, sufflaminantur, torpens in partibus paralyticis vita excitatur, vel et morbis diuturnis, v. g. nervosis, spasticis, paralyticis, cachexiis (ex febre intermittente, v. g.), impetiginibus chronicis, medela per febrim adfertur.

Quo magis autem calor intenditur, et quo diutius constat, eo magis etiam sanguinis serum dissipatur, cujus (sanguinis) partes plasticae ab initio condensantur, ultimo autem resolvuntur. Haec sanguinis et vasorum, quibus coercetur conditio abnormis in causa est, ut secretiones parciores reddantur, secreta corrumpantur, resorptio retineatur, nutritio impediatur, aut pervertatur; hinc materierum inutilium, acrium in sanguine et universo contextu accumulatio, partium irritatio, inquietudo, spasmi, dolores, inflammationes, suppurationes. His accedit, quod sanguine ita constituto, neque vitae sensiferae principium satis restauretur; hoc et diuturna vitae in systemate sanguifero intensio et acceleratio rem eo perducunt, ut exhaustis viribus vitalibus vasorum sanguiferorum, praepremis minorum et capillarum paralyses adducantur, et congestiones passivae, effusiones, metastases, mors, morbo et vitae finem imponant.

§ 93. In concipienda autem completa februm prognosi, medicus non solum morbum, sed aegrum, et rationes in quibus versatur externas attente perpendat.

Ex parte morbi febris *character, intensio* (vel gradus), *impetus, quo diversa corporis organa adgreditur, decur-*

sus, et *symptomata maxime urgentia* praeprimis consideranda veniunt.

Respectu characteris, febris erethica omnium mitissima; inflammatoria, in crisiu salutarem prona, nervosae praeferenda; nervosa discrimine plena; omnium pessima putrida.

Ad febris *intentionem* respiciens medicus, febrim levio-rem minus timet, quam gravio-rem (ex praecedentibus). Magnopere ad *organa* attendendum est, in quae morbus convertitur: quo magis libera sub febris decursu organa nobiliora, v. g. cerebrum, pulmones, reperiuntur, eo felicior eventus expectatur; sed eo majora vitae discrimina timenda sunt, quo magis impetus ad haec organa directus est.

Neque, quo *decursum* suum absolvunt modo, sua deest significatio prognostica: febris, quae stadia sua justo ordine et recto tempore percurrit, et typum suum servat, caeteris paribus, levior aestimatur illa, quae typum suum mutat, rapidius incre- scit, aut lentius decurrit; hinc placent symptomata, quae certam virium vitalium constantiam, aequabilem horum per totum corpus distributionem, cerebrum, pulmones, viscera abdominalia minus tentata testantur. Si conscientia redit, oculi ad- spectus hilarior, facies magis composita adparet, si lingua antea sicca humescit, cutis minus ardet, mollior et subhumida sit, si pulsus minus frequens, aequalis, liberior, mollior est, urinae vix missae turbantur, tunc instantem bonam crisiu praedicere licet. Si vero symptomata magnam virium prostrationem, aut organa nobiliora opple- tione, effusione, inflammatione, gangraena, paraly- si adfecta indicant, tunc maxima vitae discrimina vel rem jam conclamata- m enuntiant. Sub hoc respectu delirium perpetuum, sopor continuus, animus nihil curans, oculi exstincti, facies collapsa, impotentia corporis situm pro libitu moderandi, tendinum subsultus, singultus, spiritus citatus, brevis, difficilis, pulsus frequentissimus, celerrimus, inaequalis, debilissimus, evacuationes profusae, sudor frigidus, pessimi certe ominis signa declaranda sunt.

§. 94. Ex parte *aegri* febriliter laborantis, dispositio et valetudinis praegressae conditio bene computanda est, ut quid boni, quid mali a febre expectandum sit, intelligatur.

Homines corporis habitu valido, attamen sanguine non nimis turgido, minus sensili et irritabili donati, a morbis non tentati praegressis, visceribus integris instructi, minora pericula in febre subeunt, quam homines athletici, sanguinis-

mole oppressi, vel quam homines sensiliores, irritabiliores, morbis praegressis, laboribus, studiis, animi pathematibus, Venere exhausti, cachectici, visceribus male constitutis, induratis, aut alio vitio laborantes, senectute confecti.

§. 95. Tandem *rationes externae*, sub quibus aeger versatur, non spernenda prognosis adminicula praebent, inter quas constitutio epidemica regnans primam certe attentionem meretur, ex qua non solum prognosis, sed et diagnosis illustratur; dein alia quaecumque causa, quae febrim excitavit, sustinet, aut exasperat: rerum domesticarum, familiae, medelae hucusque adhibitae computatio febris prognosi aliquod lumen comparare possunt.

De cura februm in genere.

§. 96. Rationalis februm cura *tribus indicationibus* inicitur: quarum prima *causam*, quae morbum excitavit, si adhuc perstat, abigere; secunda *morbum*, qui feбри subest, tollere; tertia *convalescentis* ex feбри salutem integram restituere jubet.

§. 97. Indicatio I. Nullius unquam morbi medela ex votis procedit, nisi quae morbum fecerunt, et ulterius alunt causae sublatae fuerunt, id quod de feбри quam maxime valet.

Hinc, quem febris invasit, aeger aëris frigidioris, calidioris, humidi, mephitici, aut alia ratione peccantis injuriis subducendus; quae cuti forsitan adplicata sunt irritantia, v. g. odoramenta, linimenta, unguenta, emplastra abstergenda; mechanice offendentia removenda; combusta, laesa, vulnerrata, fracta rite tractanda; quae in canali alimentari haerent nociva, sordes, acria, venena, remediis opportunis evacuanda, diluenda, obvolvenda, resolvenda; quae admissa sunt contagia repellenda, aut, ubi licet, destruenda; animae turbae componendae erunt, etc.

In abigendis autem, vel, ubi hoc non conceditur, in mitigandis causis nocentibus ea regula observanda est, ut talia iis remedia opponantur, *quae febris characteri convenient, aut saltem non repugnent.*

§. 98. Indicatio II. Quamvis depulsa quae febrim provocavit, potentia nociva, seu, ut dicunt, causa occasionali; ideo tamen febris non illico silet, verum omnis vivi ad instar e germine suo ulterius crescit, floret, et maturato fructu iterum decrescit et succumbit. Abacta igitur, aut subacta causa

febris occasionali, ipse, qui feбри subest morbus, seu *causa febris proxima* exstinguenda erit.

In tractanda ipsa feбри omnium primo gravis illius differentiae, quae inter febrim *idiopathicam* et *symptomaticam* intercedit, ratio habenda est. Cum febris symptomatica tota ab alio morbo, ex quo generatur, dependet, ipsa non tolli potest, nisi ipso, cui se addit, morbo moderato, aut sublato. (Si v. g. febris intermittens oritur ex tumoribus, infarctu viscerum abdominalium, primo infarctus, tumores tractandi.) Si vero morbus principalis omni curae rebellis resistit, nil aliud superest, quam morbum hunc symptomaticum cura symptomatica adgredi. (Si v. g. ulcerationi pulmonum accedit febris hectica, ulcerationem non possumus tollere, et omne quod in hoc casu fieri potest, est symptomata urgentia febris mitigare.) =

§. 99. Qui febrim *idiopathicam* eo consilio curandam suscipit, ut proximam illius causam tollat, generalem febris naturam in turbato functionum vitalium concentu cum vita irritabili systematis sanguiferi aut *absolute* aut *relative* praevalente radicari, meminerit; nec obliviscatur, vario hanc vitam a norma recedentem caractere notari: nam inde non unam esse omni feбри medendi methodum, sed singulam febrim suam exposcere methodum, intelligitur.

Praecipua autem curae molimina in feбри quacumque in vitam, et quae huic supponuntur vires dirigenda erunt, et constat sub hoc respectu, quam practicoꝝ principes statuunt, regula generalis: *Cura febris cujuslibet ea ratione instituenda erit, ut vires vitales excedentes moderentur, suppressae expediantur, languentes excitentur, et ad pristinum statum reducantur.*

§. 100. Sed quamvis ex his omnibus, curam suo diverso febris caractere diversam esse debere, satis eluceat, *unum* tamen est omnibus febribus *commune*, quod attentionem medicorum omnis aevi in se convertit: rapidior scilicet vitae in systemate vasorum processus, et excedens caloris animalis evolutio. Et hoc unum in causa fuit, ut remedia nimium vitae impetum in systemate vasorum coërcentia, et effreni caloris vi renitentia, i. e. *refrigerantia*, seu *antiphlogistica*, omni aevo febribus opposita fuissent, et adhuc opouantur. Et revera, si id, quod experientia confirmavit, reputaverimus, inter reliquas febres, erethicam et inflammatoriam multo frequentiore esse invenimus, atque febrim ady-

namico-nervosam et putridam primis saltem diebus plerumque notam erethismi aut irritationis majoris in systemate vasorum praeseferre.

Nos etiam crebriorem antiplilogisticorum usum non tantum excusare, sed et approbare debemus, dummodo a medico adhibentur ad gradum febris, et ad mutationem characteris illius semper attento.

§. 101. Omnis igitur febris cura ita instituenda et absolventa, ut non solum morbi *naturae* et *intensionis*, verum etiam in quo versatur *stadio*, nec non *urgentibus* in singulo stadio *symptomatibus* adaptetur.

§. 102. Quenam singulo singulae febris *characteri* conveniat methodus, in tractatu diversarum febrium monebitur.

§. 103. Respectu *gradus*, ad quem morbus intenditur, febris mitior alio modo quam gravior tractanda erit, ut qui in febre leviori, caeteroquin simplici, cunctando saepius plus quam praecocius agendo praestat: nam in febre ita constituta conamen, quod in corpore animali vivo vivit, semetipsum in integrum restituendi, seu vis naturae medicatrix non excitari non potest, cum vitae reusis, quem haec febris involvit, ad removenda, subigenda, eliminanda, quae morbum excitant, et ad normalem statum restituendum utique sufficit. Ut igitur in hoc casu febris suam in semetipsa sanationis remedium recludat, suam sibi crisiu praeparet, et a medico nullum desiderat auxilium, nisi quod remotis iis quae illam possint exasperare, et, adhibito opportuno regimine diaetetico, viam liberam pro decursu suo inveniat.

In febre autem graviore, quae praesto sunt, artis adminicula in auxilium vocanda sunt, sive ex pharmacorum, sive ex diaeteticorum apparatu depromantur, et ita deinde adhibenda, ut praeter morbi characteri, et intensionis gradui, singulis etiam illius stadiis, et quae maxime urgent symptomatibus convenient.

§. 104. Febris invasio *frigore* adnuntiatur, et ita plerumque constituta est, ut medicus sub prima saltem invasione totam febris naturam non satis clare perspiciat; hinc sub hoc momento neque medendi methodum morbi characteri adaequatam cum certitudine definire, nec remedia adhibere potest. Ut igitur hic nil aliud supersit, nisi quod aegrum maxime molestat, frigus nimirum remediis congruis moderare: haec remedia instinctus jam aegrum docet, qui ad lectum confugit, et integumentis, quibus se obtegit, a frigore sese

defendere studet. Illis dein ars cutis frictiones, fomenta calida et potulenta calida addit; haec ultima (potulenta nempe) ejus indolis sunt, ut, quousque licet, febris characteri conveniant. In casu dubio potus leniens, antiphlogisticus stimulant, calefacienti praefereendus, cum vitae excitatio per stimulantia inducta ultra frigus extensa, sub subsequente calore damnnum magnopere exasperat. Praecocem potulentorum calefacientium ex floribus sambuci, chamomillae paratorum usum saepius in causa fuisse, ut febres erethicae in inflammatorias intensas et adynamico-nervosas transiissent, experientia saepius jam docuit.

§. 105. Incrementum febris *calor* adauctus cum pulsu concitato prodit, vitam simul in systemate vasorum acceleratam indicans, cum robore interno aut non mutato, aut adaucto, aut ultra normam imminuto.

In hoc igitur stadio praecipua medici opera in eo versabitur, ut nimius vitae impetus in systemate vasorum sive absolutus, sive relativus moderetur, atque inter hanc et ceteras vitae species contentus, quem norma dictat, restituatur. Ad hoc autem opus gravissimum absolvendum varia methodo indigemus, pro *vario* quem vita induit *charactere*.

Ubi enim systematis sanguiferi vita sola celeritate peccat, robore magis intacto, methodus *refrigerans*, sive methodus *antiphlogistica simplex* sufficit (hoc est in febre erethica).

Ubi febris non solum vitae sanguinis praecipitationem, sed et veram intentionem involvit, *methodus antiphlogistica generosior* sive *methodus debilitans* requiritur.

Ubi systematis sanguiferi vitae, quamvis rapidioris robur concidit, et debilitas hujus systematis aut in hoc systemate ipso exoritur et ad vitam sensiferam propagatur, aut in systemate nervoso oritur et ab hinc ad systema vasorum extenditur, artis conamina eo dirigenda sunt, ut vitae systematis sensiferi potestas in vitam vasorum adaugeatur, et pristinus contentus inter haec systemata restituatur; in quo casu *methodus stimulans* in usum trahenda est.

Ubi tandem aestus morbosus cum visu plastico ad imum depresso et ingruente organici resolutione febris imaginem sistit, *methodus roborans*, aut methodus sic dicta *antiseptica* in loco est.

Singulam harum methodorum ea ratione adplicat medicus, ut a remediis mitioribus incipiendo, ad efficaciora progrediendo, pari semper passu cum morbo procedat, attentio-

nem suam ad metaschematismum, cui febres adeo obnoxiae sunt, semper dirigens, ut mutato characterē febris, mutet et miedendi methodum, et priori saepius oppositam adhibeat.

§. 106. *Symptomatibus gravioribus*, aegrum vexantibus et morbi discrimina augentibus, aestui nimio, siti, dolori capitis, pervigilio, delirio, spasmis, anxietati, spiritui difficili, excretionibus retentis aut profusis, medicus remedia quae simul conveniunt principali morbi characteri, opponat, et in organa praeprimis, ex quibus haec symptomata veniunt, dirigat.

Quae calorem et sitim febrilem moderant, inter diaetetica memorabuntur, reliqua sub singulo febris genere opportunius exponentur.

§. 107. Si morbus manifeste decrescit, eadem ratione, qua febris impetus mitigatur, artis etiam adminicula paulatim et caute moderentur, quin tamen molimina critica, quae sub hoc stadio instant, et evacuationes criticas negligamus, quae omni attentione observandae, et in aegri salutem dirigendae sunt.

Lege sancitum est, ut *evacuaciones criticae retardatae promoveantur, excedentes moderentur*.

Ad *promovendas* evacuationes criticas pro diversa ipsarum natura remedia diversa in usum trahenda, ita tamen disponenda sunt, ut semper (quod iterum iterumque monendum est) febris characteri congrua sint.

Haec autem remedia cum fructu non adhibentur, nisi remotis omnibus evacuationum criticarum impedimentis; sic, qui instat *sudor criticus* libere non procedit, nisi quae forsitan adest diarrhoea composita, frigore externo remoto, etc. Quo facto aër aegrum ambiens, calore temperato instructus, tepor lecti, quin tegumentis obruatur aeger, potulentum tepidum, moderate aegro porrectum, ad sudorem criticum rite sustinendum sufficiunt; vestes aegri sudore madidae caute, et quin refrigeretur aeger, removendae, illisque aliae siccae et modice calefactae substituendae sunt. Magnopere autem cavendum, ne aegrum calore nimio fovendo, in aëre corrupto includendo, remediis sudoriferis tractando sudor profusus causetur, qui exhauriens potius vires, aegrum in perniciem praecipitet (sanguis calore expanditur, resolvitur, etc.).

§. 108. *Urinae criticae* evacuatio eo optime expeditur, quod corpori sufficiens aquosi copia suppeditetur, quo eorum, quae per urinam eliminanda sunt, solutio, resorptio,

excretio promoventur, quibus finibus prae caeteris potulentum respondet febris characteri non adversum.

§. 109. Ad sustinendam *diarrhoeam* revera *criticam*, decocta ex radicibus gramiis, taraxaci, fructuum tamarindorum, prunorum, serum lactis cum cremore tartari, cum fructibus tamarindorum adhibentur, si quae natura molitur, non sufficiunt. Caveat tamen medicus, ne in evacuandis sordibus nimis sollicitus diarrhoeam profusam causet, qua vitae fons cito exstinguitur. (Character febris inflammatorius per diarrhoeam profusam in adynamicum convertitur; aut character adynamicus, qui adest, exasperatur.)

§. 110. Quae *vomitum criticum* promovent remedia satis nota sunt. Aqua tepida nauseam auget, evacuanda mobilia reddit, et evacuationem promovet.

§. 111. *Haemorrhagiam criticam*, minus, quam medicus exoptat, sanguinis fundentem per calorem moderatum, parti haemorrhagiam sustinenti adplicandum provocat; quo vapores, lotiones, fomenta, cataplasmata pertinent. (Calore vasa sanguifera ita disponenda, ut plus sanguinis attrahant, et eo plus fundant.)

§. 112. *Reliquae* evacuationes criticae sub ipso frigore expouendae.

§. 113. Remedia, quibus iisdem et aliis evacuationibus *excedentibus* occurrat medicus, partim ex febris natura, partim ex particulari evacuationis modo, partim ex organo unde evacuatio fit, partim ex causa evacuationis nimiae eruenda sunt.

§. 114. Haec nunc morbi febrilis cura pro vario illius characterem, intensione et stadio moderata non solum remediis ex officina praescriptis, sed et remediorum ex *apparatu dietetico* depromptorum auxilio magnopere promovetur, quae rectam horum dispositionem sibi exigunt.

Hoc autem regimen dieteticum gravissimam curae partem constituit, ut quod saepius solum ad febrim superandam par inventum est; sine cuius adminiculo nec remedia pharmaceutica effectum totum salutarem praestant; quod damnum saepe corrigit medici temerarii; cuius dignitas etiam eo elucet, quod aeger instinctu saepe ducitur, haec aut illa ex domesticis adhibere.

§. 115. Remedia, quae ex dieteticorum apparatu depromuntur, in febribus ad eandem normam generalem, ac medicamina pharmaceutica adhibenda, et eadem ratione morbi

characteri, intensioni et stadio adoptanda erunt; unde iterum non idem regimen diaeteticum omnium febrium generi convenire patet. Nihilominus generalia quaedam supersunt, ubique observanda, et hic locorum adnotanda.

In disponendo autem regimine diaetetico pro homine febrili laborante, non tantum *potentiae externae*, quae forinsecus in organismum agunt, verum etiam *internae* medici attentionem merentur.

§. 116. Inter *potentias externas*: calor, rationes electricae, aëris constitutio, nutrimenta. nec non quae sensus externos adficiunt irritamenta ita disponenda sunt, ut ad febrim aut moderandam aut exstinguendam contribuant.

§. 117. *Calor externus*. Rectum caloris externi moderamen primum certe in curanda febrili adminiculum est, in qua caloris animalis evolutio cum causa proxima intime cohaeret. Quamvis sub frigore febrili moderatum caloris externi augmentum conveniat, regimen tamen nimis calidum per febris decursum observatum magnopere nocet, aestum febrilem, et cum hoc omnia febris discrimina augens. Hinc generalis haec regula bene observanda est: *In omni febrili caloris externi vis eo magis temperanda est, quo magis calor febris increscit*. Sed quamvis haec regulam enuntiare sat facile sit, multa tamen in hujus adplicatione obstant impedimenta; nam cum caloris morborum ratio in febribus diversis admodum diversa sit (calor mox major, mox minor, urens, gratus, pungens, etc.), cum a calore febrili ad frigus glaciale multi sunt gradus intermedii, et cum diversa observetur in aegris diversis frigoris et caloris tolerantia, dubius saepe haerebis in determinanda ratione congrua caloris externi. Quum calor externus aegris vario medio adplicatur, et ex hoc varia corporis organa adficit, diversa haec media respicienda sunt, ut intelligamus quo modo haec media sese habent ad organa, quomodo calorem conducant, etc.

Sic *potus* in febrili erethica, inflammatoria et nervosa sub frigore moderate calidus, sub calore egeidus, sub crisi tepidus propinatur, in febrili putrida subfrigidus commendatur.

Aëris aegrum ambientis temperaturam ad 15.° Reaumur determinant medici, quam tamen aegrorum plures minorem desiderant, mox ex consuetudine, mox ex vario febris characterem, etc.

Vestibus levioribus utatur aeger, et lecto ita constructo, ut stragulis majoribus obruatur.

Casus, sub quibus *lotiones* et *infusiones frigidae* adplicandae sunt, sub singulis febribus exponendi erunt.

§. 118. *Electricum*. Electrici corporis animalis febrī adfecti ad corpora externa rationes a medicis practicis non secundum dignitatem aestimantur, quamvis non arduum sit probare, illud in moderanda organismi vita et valetudine non parum valere; quae rationes multorum saepe morborum fontem in se recludunt, quem medici plurimum longe alibi quaerere solent. (Major electrici in corpus humanum vis vitam animale concitat, in systemate vasorum inflammationem provocat, in nervoso morbos, qui exorbitante vita sensifera distinguuntur; et contrarium in casu inverso.)

Si igitur electrici in corpore animali vis *ultra* quam par est evolveretur, medici est, hanc *nimiam evolutionem electricitatis moderare, ipsum autem principium electricum corpori, in quo abundat, remediis opportunis subducere*. Cui fini *lucis*, (per lucem vita sensifera magis excitatur, hoc modo principium vitae sensiferae uberius evolvitur, quod cum electrico magnam adfinitatem habere videtur) et stimulantium phlogisticorum subtractio, *aëris subhumidi*, minus electrici subministratio, *balnei aquosi, tepidi, cataplasmatum* usus respondebunt. (Vapor aquosus, quem eructant cataplasmata, electricum conducit.) Ubi verum *contrarium* obtineret, ut nimirum electrici exclusio retineretur, aut exclusum uberius e corpore erumperet, remedia adhibenda forent, quae aut *electrici generationem intenderent*, aut *generatum in corpore, in illo restringerent*; et in hunc scopum *stimulantia volatilia, resinosa, aër purus, densus, siccus*, corporis cum *oleosis, resinosis* inunctio (sunt materiae isolantes), vestimenta et integumenta ex *bombyce, lana, pilis* parata in usum trahenda sunt. (Stimulantia volatilia non tantum evolutionem caloris promovent, sed et electrici, inde citatissima propagatio per totum corpus explicatur.)

§. 119. *Aër*. — Aër aegrum ambiens ubique purus desideratur, quem tamen febris erethica et inflammatoria non adeo siccum, densum, et continuo renovandum exigunt. Febris autem adynamico-nervosa, et prae caeteris putrida, aëre purissimo, sicco, denso, hinc subfrigido opus habent. Hunc (purum) autem eo procuramus, quod aëri libero per fenestras apertas, per ventilatores accessum concedamus, aëgro tamen a vento perflante ante defenso; quod remedia adhibeamus, quae aëres mephiticos, vapores nocivos, fermentantia, putre-

scientia, comburentia, respirantia absorbent (remedium in hoc casu princeps est acidum muriaticum oxygenatum); quod omnia aërem corrumpentia, excreta, vestes, et lecti partes impuras removeamus.

§. 120. *Nutrimenta*. In ordinandis nutrimentis omniium primo urgenti *siti* indulgendum, et de potulento igitur primo cogitandum.

Ad *potum aquosum* eligendum aeger febrī detentus instinctu ducitur, et revera est aqua primum remedium in omni febrī, quae calorem temperans solvit, excretionem promovet, etc.; cui tamen potulento simplici aliae adhuc res medicatae adduntur, characteri febris convenientes.

Potulenta mucilaginosa: decocta radicum althaeae, salep, seminum hordei, seminum oryzae, infusa aut decocta foliorum althaeae, infusum florum verbasci, emulsa ex amygdalis dulcibus, ex seminibus cucumeris sativi, melonis, si satis tenuia sunt, primarum viarum acria involvunt, sanguinem minus stimulantem reddunt, sensilitatem organorum moderant, spasticas membranarum et vasorum contractiones solvunt, organisationem strictam relaxant, hisque dotibus remedia offerunt, febrī erethicae et inflammatoriae imprimis opportuna.

Potulenta acidula, quae ex *plantarum* acidis fiunt, aqua copiosa dilutis et saccharo temperatis; v. g. ex succo citri, aurantium, berberum, ribium, rubi idaei, ex aceto, oxymele simplici, acido tartarico parata, sitim fallunt, bilem et sanguinem nimis phlogisticos corrigunt (minus phlogisticos reddunt), aestum febrilem temperant (acida immittunt oppositionem sanguinis cum oxygenio in aëre), et nimum in resolutionem moderant (uisus hic in resolutionem saepius ex nimio calore repetendus), hinc nisi irritationes et inflammationes locales adsunt (praeprimis partium, in quas acida directe agunt, v. g. in irritatione aut inflammatione faucium, ventriculi, intestinorum, organorum respirantium, urinalium), aegris febrī erethica, inflammatoria, biliosa et putrida correptis conveniunt. Quae ex acidis *mineralibus* multa aqua parantur, in febrī putrida potissimum usitata sunt (ex acido sulphurico, — acido muriatico diluto, acido muriatico oxygenato).

Potulenta dulcia, aqua, saccharo, mele impraegnata, serum lactis dulce, decocta graminis, malthi, et similia, febribus erethicis cum irritatione gastrica, catarrhali, et similibus conjunctis, conveniunt.

Potulenta vinosa, aqua temperata, recto tempore et modo usurpata, aegros febrī adynamico-neruosa aut putrida adfectos egregie relīciunt.

Quantum potulenti aegris sit concedendum, sitis dictabit: multum sitientibus portio modica saepius repetenda melius cedit, quam magna fluidi moles, ventriculo una vice ingesta, hunc obruens, distendens, aegro anxietatem causans. In casibus, ubi introitus ad ventriculum intercluditur, aut hic potulentum respuit (si, v. g., ventriculus est inflammatus), collutoria, lotiones, balnea, clysteres potum supplere debent.

§. 121. *Cibos* omnes fere febres, exceptis paucis (v. g. lecticis), recusant, praepriis animales, atque cibos nonnisi parcissimos, tenuissimos, mitissimos, digestu facillimos admittunt. Appetitus aegri in cibo eligendo et portione determinanda medicum optime dirigit. Aegris omnem cibum animale, ipsum carnis jusculum recusantibus, jusculum ex aqua et pane paratum (panada) propinatur; qui autem jusculum carnis ferunt, iis hoc merum conceditur; appetitu crescente eidem jusculo semina hordei excorticata, semina oryzae adduntur, neque fructus horaei cocti, v. g. pruna, poma, cerasa, herba spinaceae oloraceae, herba lactucae sativae denegantur; a quibus ad brassicam, ad radices dauci carotae, petroselini etc. transitus fit; in febris intermittētis apyrexia carnes etiam teneriores, vitulinae, agninae, pulli gallinacci (vel assae vel coctae) conceduntur.

§. 122. Praeter has potentias diaeteticas, quas mundus subministrat externus, illae etiam respiciendae sunt, quae in ipso aegro sunt, vel ab ejus voluntate dependent; et sub hoc respectu ex *motu musculari*, ex *mentis functionibus* et ex *animo* in morbum redundant.

Motum muscularem in febrī quidquam graviori lassitudo jam interdicit, et lectum petere cogit. In hoc nunc commode constructo decumbenti, decubitus rationem morbo congruam determinet medicus (decumbat mox capite elevato, pectore elevato, in latus hoc et illud, in dorso, etc.).

Sic et *mentis functiones* in febribus plurimis torpent, et violenter excitatae morbum exasperare possunt: hac de causa stimulorum etiam, sensus externos lacescentium, lucis, sonorum, odorum vis ut plurimum moderanda venit, nisi praevalens vitae sensiferae torpor aut paralysis iugruens contrarium suadeat, aut etiam jubeat.

Tandem et *animi turbæ* (animi affectus aut excitantes aut deprimentes) multum ad intendendam febris vim contribuere possunt, hinc et in sedandis animi motibus nec ultima versabitur medici opera.

INDICATIO III.

§. 123. Omnibus his naturæ et artis adminiculis rite adhibitis, silet tandem devicta febris. Sed, quamvis morbo ereptus, illico non in pristinam salutem restitutus apparet homo. Verum, quo gravior fuit febris prægressa, eo major *dispositio* ad febrim ipsam vix superatam, vel ad alium morbum secundarium, eo major *virium languor et corporis emaciatio* supersunt. In his nunc tollendis, et in restituendo pristino corporis robore versatur *cura convalescentiæ*.

Ob *superstitem* ad febrim aut alium morbum *dispositionem* convalescens ab omnibus potentiis nocivis, præcipue illis, quæ febrim excitare valent: frigore, aestu, nutrimento copioso, graviore, potulento stimulante, medicamentis evacuantibus fortioribus, præmaturo corporis exercitio, studio, Veneris usu etc. sollicite defendendus erit.

Relicta a feбри vitæ et corporis *imbecillitas* recto roborantium et nutrientium usu tollitur, in quo tamen nec *characteris* febris superatæ immemor sit medicus.

Qui enim a feбри inflammatoria resurgit, non semper fert roborantia et vinosa, nec aliis nisi nutrientibus ad pristinum robur recuperandum opus habet.

Qui vero a feбри graviore, præprimis adynamica veram debilitatem retinet, amarorum, amaro-aromaticorum, ipsius clinæ subsidio indiget; quorum effectum salutarem quamplurimum adjuvant moderatus vini generosi usus et cibi large nutrientes, facile digerendi: ova sorbilia, caro vitulina, pulli gallinacei, agnina, a quibus ad teneram ferarum, v. g. leporis, capreoli, carnem, et dein ad bubulam transitus fieri potest, quibus etiam plantae admiscentur. His accedant aëris puri respiratio, gratum cum amicis consortium, moderatum corporis exercitium in aëre libero, moderate calido instituentum. Donec pristino robore recuperato, medicinæ et medico laetus potest valedicere aeger, suis, sibi, et officiis suis restitutus.

ORDO I.

Febres continuæ.

§. 124. Febris, quæ aegrum semel prehensum filo ab initio ad finem usque non interrupto tenet, *continua* dicitur.

Si symptomata essentialia ab initio usque ad culmen continuo crescunt, uno deinde impetu solvenda, febris *continua-continens* dicitur. Si vero symptomata hæc per certa temporis spatia respectu numeri et intensionis imminuuntur, et dein iterum intenduntur, febris *continua-remittens* adesse dicitur.

Lege quadam suprema sancitum est, omnem vitam particularem inter *fluxum et refluxum* semper fluctuare; cum igitur nec vita in statu sano semper eadem sit, etiam vita morbosa huic legi subjiciatur necesse est, hinc non absque jure febres continuæ continentes in dubium vocari possunt, an qua stricte tales existant, nec ne?

§. 125. Febres igitur continuæ omnes fere remittentes sunt, quæ nimirum per alia temporis intervalla severiores, per alia mitiores, per *remissiones* et *exacerbationes* continuo alternantes cursum suum absolvunt. In hoc autem decursu eum ordinem sequi solent, ut noctem ingruentem exacerbatio, decedentem remissio indicet (remissio matutina, exacerbatio vespertina), et ita *typum quotidianum* observent; sunt aliae, quæ *typum quotidianum duplicem*, per remissiones et exacerbationes binis vicibus de die manifestum observent; aliae, quarum impetus omni alterna die magis intenditur, una die interposita, remissione distincta, i. e. *typum tertianum* observantes.

Febris continuo remittens crescit crescentibus quotidie exacerbationibus respectu *durationis* et *intensionis*, remissionibus interea magis magisque in dies absconditis.

Decrescentem vero febri remissiones quotidie manifestiores et longiores indicant, exacerbationibus *mitioribus* et *brevioribus* interpositis. (Exacerbatio et remissio semper in ratione inversa sunt, quo major una, eo minor altera, et inverse.)

§. 126. Febrium continuarum divisio utilissima est, quæ ex diversa earum *natura* repetitur, et quam nos sequentes, *quatuor* febrium continuarum *genera cardinalia* statuimus:

Genus I. Febris *continua erethica*,

» II. » » *inflammatoria*,

Genus III. Febris *adynamico-nervosa*,

» IV. » *putrida*;

quibus singulatim pertractandis simul *febrim gastricam* subjungimus, quia character gastricus a pluribus practicis ad characteres generales refertur.

GENUS I.

Febris continua erethica.

§. 127. *Febris continua erethica*, quam Richterō febrim neutrius generis dicere placuit, quae aliis practicis sub nomine febris irritativae simplicis aut etiam subinflammatoriae venit, est febris, in qua praeter systematis sanguiferi erethismum, nil aliud morborum invenitur.

Motus vitalis in systemate sanguifero justo *alacrior* cum robore sat valido, normale tamen vix superante, sine ulla sanguinis dyscrasia hunc erethismum manifestant.

§. 128. Febris haec cum simplici *orgasmo* non minus, quam cum ipsa *febri inflammatoria* facile confunditur.

A simplici orgasmo febris continua erethica eo distinguitur, quod sanguinis ebullitio in hoc (i. e. in orgasmo) a potentiis irritantibus quibuscumque, v. g. animi turbis, corporis motu nimio, calore externo adaucto, potu vinoso excitata, non ultra causae excitantis efficaciam extendatur, sed hac cessante mox iterum sileat; febris autem erethica constantem in corpore mutationem morbosam supponat. Unde etiam fit, ut quamvis calore cutis adaucto et pulsu concitato, sub orgasmo reliqua desint febris symptomata.

Febrim inflammatoriam genuinam symptomata distinguunt, quae vitam in vasorum systemate non solum acceleratam, sed et quoad robur ultra normam intensam, cum materiae plasticae (lymphae coagulabilis) secernendae nisu praevalente indicant, suo deinde loco accuratius enumeranda.

§. 129. Symptomata hanc febrim per sua *studia* decurrentem designantia hocce ordine sese excipiunt:

Prægressis *prodromis* plerumque levioribus, aut etiam nullis, *frigus* febris invasionem adnuntiat ut plurimum levius, cum horripilatione vaga, saepius constans, et post intervallum minus, aestui subsequenti cedens; ingruit nunc *calor* auctus per totum corpus, constans, non adeo ardens, cum cute turgida, non penitus sicca, et siti majori, pulsu frequentiore et celeriore, subinde pleniore, sed normali non

multum fortiore, nec duriore; *secretiones* parciore quidem adparent, attameu non adeo colibitae sunt, quam in febris inflammatoria: hinc lingua subhumescens, faeces alvinae non exsiccatae, urinae turbidae, non flammeae. His accedunt *consueti febris symptomata*: lassitudo, dolor capitis, animi impatientia, sensuum sensibilitas major, appetitus prostratus, etc. etc. quae noctem versus exasperantur, quam aeger aut insomnis aut minus tranquillus transigit, quin tamen in deliria manifesta abripiatur; plus sibi tempus matutinum laudat aeger, febris remissioni amicum.

§. 130. Hanc nunc febris erethica faciem refert, quamdiu *idiopathica et simplex* est. Si vero *symptomata*, affectioni gastricae, catarrhosae, rheumaticae, exanthematicae comitem se addit, harum etiam symptomata suis adjungit, et sub morbi admodum diversi forma apparet (sic v. g. variolis, si benignae sunt, saepius accedit solum levis febris erethica, quae praeter sua symptomata exanthema variolosum ostendit).

§. 131. Subinde morbi hujus vis tam brevi exhauritur, ut 24 horas vix emensa, crisi jam finiatur: *ephemera*; quae, si crisis paulo serius (v. g. altera die) ingruit, *ephemera protracta* audit; ut plurimum ad dierum 7 aut 14 spatium extenditur, donec crisi, aut, quod frequentius obtinet, lysi terminetur.

Crisis per sudorem et urinam absolvitur: ubi autem *alii* morbo accedit, crisi subit, *huic solemnem* (v. g. si accedit statui gastrico, etiam vomitus et diarrhoea critica ad crisi pertinent).

§. 132. *Aetiologia*. In causas febris erethicae inquirentes primo majorem *dispositionem* in hominibus offendimus, sine majore corporis robore, sine plethora manifesta sensibilibus, irritabilioribus, tenerioribus, infantibus, pueris, feminis, viris etiam constitutionis antea dictae, moderatum caeteroquin vitae genus ducentibus. Qui si *potentiis* nocentibus exponuntur, vitam in systemate sanguifero excitantibus, attamen non nimis intensis, facile febrim sibi contrahunt characteris erethici: inter has autem potentias, caloris et frigoris vicissitudines (refrigeratio aestuante corpore, aut frigente corpore aestus nimius), motus corporis diutius protractus (orgasum inducit, et febrim erethicam causare potest), animi concitatio, certa constitutio epidemica, irritationes, vel et inflammationes leviores, locales cutis externae, membranarum mucosarum, serosarum, quales cum certis exanthem-

matibus, cum adfectione catarrhosa, rheumatica, cum collivie gastrica saepe conjunctae incedunt, primum certe locum tenent. Quod si *causa* illius *proxima* in vi sanguinis stimulante majore, et in cordis et reliqui systematis sanguiferi vitalitate exaltata ponitur, hoc assertum veri aliquid laud dubio involvit, attamen totam febris erethicae naturam non illustrat, quamdiu, unde major sanguinis vis stimulans, et altior cordis et reliqui systematis sanguiferi irritabilitas in hoc morbo dependeant, non ex omni parte intellexerimus. Ea, quae de proxima febrium causa in genere dicta sunt, rite adplicata medico in naturam febris erethicae inquirenti aliquid luminis afferre possunt.

§. 133. *Prognosis* in febris erethica *idiopathica, simplici*, hominem adgrediente, qui sub conditionibus faustioribus aegrotat, discrimina leviora, quam in omni alia febris timet: cum enim haec febris in sublato functionum vitalium concentu cum systematis sanguiferi alacritate praevalente radicitur, nil praeterea morborum involvit, et in corpore animali vivo nisus perpetuus in integrum sese restituendi vigeat, facultas medicatrix in hac febris non solum minus impedita est, quam in omni alia febris, sed et magis vigeat. (In hac febris obtinet solum mutatio vitae quantitativa.)

Levior, qui adest, efficientiae vitalis excessus, postquam ad subigenda et assimilanda omnia, quae ad febriem excitandam occasionem praebuerunt, contulit, ipsa intensione semetipsum paulatim componit. Quo facto et spasmus in systematis sanguiferi ambitu soluto, se et excretionum libertas, et placidus totius vitae decursus restituitur. Si igitur aeger hac febris tentatus, naturae nutui obtemperat, si nimirum animi et corporis quiete, aëre non corrupto, temperatura caloris externi moderata fruitur, pro siti bibit, et a nutrimento graviore abstinet, non arduum illi erit, absque usu remediorum efficaciorum, morbo evadere, et pristinam recuperare salutem.

Si nunc casu fortuito *homoeopathus* adest, qui suum *granulum* sacchari lactis, medicamenti cujuscumque *nihilo* impraegnatum aegro porrigit, splendidam utique se et alios fallendi occasionem habebit, suaeque arti adscribendi, quae sola vis naturae medicatrix effecit.

Attamen quamvis idiopathica et simplex sit febris erethica, non omni ubique periculo caret; nam sub perverso regimine diaetetico, tractamine medico, aut regnante constitutione epidemica in febriem inflammatoriam genuinam, aut

adynamico-nervosam converti potest, et omnia tunc harum pericula subit. (Sic, v. g., si ab initio febris erethica infuso florum sambuci, chamomillae calido, vino, cerevisia calefactis tractatur, in inflammatoriam transire potest; in adynamico-nervosam, si constitutio epidemica febribus nervosis favet.)

In dijudicando febris erethicae eventu morbi *intensio-nem, stadium, aegri constitutionem, genium epidemicum regnantem, et aliarum potentiarum* in morbum et aegrum vim rite aestimanda esse, ex praeceptis generalibus sequitur.

§. 134. *Cura* febris erethicae ad *normam generalem* supra jam explicatam instituenda.

Sublatis nimirum *potentiis inimicis, et causis morbi occa-sionalibus*, medicus medendi methodum adhibet, extinguendo *characteri* febris parem, qui character cum in vita systematis sanguiferi rapidiore cum robore sat magno radicitur, medendi methodo indiget, quae vitam systematis sanguiferi *temperando*, hanc ad normam reducit: quae methodus sub nomine *refrigerantis, aut antiphlogisticae mitioris*, medico nota est.

§. 135. Medicamenta methodo refrigeranti satisfaciencia ex *mucilaginosorum, dulcium, acidulorum et salinorum* generibus repetuntur.

§. 136. *Mucilaginosa* acria obvolvendo, contextum organicum relaxando, et emolliendo, sanguinis indolem phlogisticam et vim stimulantem imminuendo, irritabilitatem effrenem moderando, suam utique symbolam ad nimium vitae impetum in systemate sanguifero componendum conferunt; reliquis tamen antiphlogisticis mitissima censenda. Illic igitur loci sunt:

Radices salep, radix, herba et flores althaeae, flores verbasci, semina hordei, herba malvae, gummi arabicum et tragacanthae, horum gummi et seminum cydoniorum mucilagines, amygdalae dulces, oleum amygdalarum, et reliqua hujus indolis.

§. 137. Virtutis non absimilis *dulcia* sunt: saccharum officinarum, mel, mauna, pulpa cassiae, radices graminis, liquiritiae, saccharum et serum lactis, quae ob vim simul leniter solventem, secretiones praepriis mucosas expedientem medicis placent.

§. 138. His vero in compescendo aestu febrili, et morboso vasorum impetu, *acidula* excellunt *saccharo* temperata, ut quae indolem sanguinis phlogisticam et oppositionem inter-

nam imminuentia (chylus magis oxydatus ad sanguinem defertur), sanguinis vitam, calorem, turgorem, potentiam arteriosam et vim stimulantem, cordisque irritabilitatem inter breve temporis intervallum moderant; ideoque inter remedia refrigerantia, seu antiphlogistica mitiora principem sibi locum vindicant. Fructus tamarindorum, succus citri, aurantii, acidum tartaricum, omphacium, succus ribesiorum (dosi minori datur, quia magis ingratus), berberum, fructus horraei acidulo-dulces, pruna, cerasa, fraga, baccae rubi idaei etc. sub hoc titulo adhiberi solent, et etiam mereuntur.

Non minorem effectum refrigerantem *sales neutri* complures exerunt, cui solventem, se et excretiones expedientem addunt, si dosi moderata adhibentur (secus diarrhoeam causant): huc sales tartaricos: cremorem tartari, lixivam tartari neutram; lixivam, sodam, magnesiā sulphuricā; sales nitricos: lixivam et sodam nitricam prae aliis referimus.

§. 139. Haec remedia quousque licet *fluida* infusis, decoctis, emulsis, solutionibus, mixturis aegro offeruntur, cum febris per se jam fluidum desiderat, et ventriculus languens secretionēque succi gastrici, enterici etc. imminutae in causa sunt, ut remedia sicca minus facile solvantur et resorbeantur. Nam in his febribus salutaris medicamentorum effectus certe non a sola, quam inducunt, primarum viarum et harum nervorum adfectione dependent, sed hic et ipsius sanguinis et humorum mutatione, tum dynamica, tum materiali opus est, quam medicamenta tantam, quanta requiritur, non efficiunt, nisi sanguinem ingressa fuerint.

§. 140. Horum remediorum adplicationem pro ratione febris incrementis aut decrementis intendendam aut moderandam, et adaequato *regimine diaetetico* adjuvandam et sustentandam esse, ex generalibus patet.

Regimen diaeteticum ita disponendum erit, ut omnibus, quae vitam systematis sanguiferi exagitare possint, (integumenta nimis gravia, stimulantia, vinosa, potus arabicus, animi commotio, etc.) remotis, omnia suppeditentur, quae ad nihil in hoc systemate impetum moderandum conferunt. Aegris febris erethica laborantibus, calor moderatus vel et moderatissimus, aer purus quidem, attamen non continuo renovandus, potulenta emollientia vel acidula egelida (quamdiu crisis non instat per sudorem), cibi parci ex plantis supradictis pro maxima parte parati, corporis animique quies conveniunt.

§. 141. In hac medendi methodo, quæ in febris erethica *symptomata* pro morbi, cui adjungitur varietate, vario modo modificanda erit (quæ omnia suo loco exponentur), eousque continuatur, usque crises absolutæ fuerint, a quo tempore convalescentis cura suscipitur. Haec quidem simplicissima est, cum hæc febris nec roborantibus, nec stimulantibus, nec potu vinoso indiget, sed nutrientia moderate in diem augenda, et reliqua diaetetica sufficiunt.

GENUS II.

Febris continua inflammatoria.

§. 142. *Febris inflammatoria* (febris ardens, *Καῶσις* veterum, pyrexia Cullenii, synocha Reilii, febris hypersthénica theoriæ incitationis, sthenopyra et phlegopyra Swediaurii, etc.) eam nobis febrem designat, quæ vitæ systematis sanguiferi *absolute* praevalenti innititur, ita nimirum peccanti, ut et facultatem motricem et nisum plasticum non solum quoad celeritatem, sed et quoad *intensionem* effrenes exhibeat.

§. 143. Hæc igitur definitio: 1.º vitam systematis sanguiferi *motricem*, normam excedentem enunciat, irritabilitatem alacriorem et irritamentum nimium supponens, unde cordis arteriarumque vibrationes velociores et fortiores prodire necesse est. Deinde nec *nisus plastici* in eodem systemate vigentis, ultra quam par est intensi, nostra definitio obliviscitur; non immemor illius, quod experientia patet, quod nempe præter turgorem et calorem adauctum, ipsius sanguinis massa citius uberiusque evolvatur, et partes constituentes magno opere in secessum et coagulum nitantur.

§. 144. His nunc rite perpensis, nec quæ inter febrem erethicam et inflammatoriam intercedunt, differentiae latebunt.

§. 145. *Symptomata*, quæ febrem inflammatoriam ingruere et sævire testantur, hac ratione se se excipere solent:

Praegressis *prodromis* consuetis, aut etiam nonnunquam non adparentibus, inopinate *horror* validus, ut plurimum brevius, hominem concutit, cujus tamen locus frigus sæpe moderatum explet, cui reliqua frigoris symptomata se addunt; sequitur mox *calor* per totum corpus diffundendus, continuo crescens, urens, *quin ingratum aut mordacem* manui tangenti imprimat sensum, cum *cute* turgida, læte rubescente, parum transpirante; interea cordis et arteriarum *pulsationes* insurgunt velociores, fortiores, duræ, non raro ta-

men cohibito per nimiam sanguinis molem, dolorem, spasmum (cordis), aut per aliud obstaculum (v. g. pulmonum inflammationem) libero sanguinis circulo *oppositum* contingit, quo pulsationes suppressae, parvae, adparente debilitate fallaces fiunt. (Si, v. g., viscera abdominalia inflammata sunt, horum nervi gravius adficiuntur, quae adfectio ad nervos thoracis, vasa majora, ad cor propagari potest, unde allatae hae turbae in pulsu explicandae.) *Respiratio* citata, anhelosa, saepe cum spiritu exhalato calidior observatur.

Nisum plasticum, qui cum his motibus vehementibus accedit, in sanguine intesum esse, sanguis testatur, quocunque modo e vasis suis emissus, qui floridus, densus, in *coagulum* firmum mox coit, *crusta* crassa, densa, tenaci (crusta inflammatoria, crusta phlogistica, corio pleuritico), ut plurimum obiectum, a sero penitus separatum, vel sero subinde orbatum.

Secretiones mucosae et serosae ubique parciores sunt: hinc singularis in naribus, ore et faucibus siccitas, sitis ardens, *frigida* et *acidula* postulans, appetitus prostratus, lingua sicca, rubra (aut albida, obiecta), alvus rara, faeces exsiccatae. Sic et *urinae* parcae eduntur, *flammae*, sub excretionis ardentes. (Sunt tamen saepe turbidae, jumentosae, si febris inflammatoria complicata est cum alia, v. g. gastrica).

Tantae autem vitae in systemate sanguifero turbae in *systema nervosum* non redundare non possunt; hinc cum motuum voluntariorum languore et lassitudinis sensu cephalaeam accusant aegri, qui oculos turgidos, splendidos, lucis impatientes, aures sensiliores, olfactum et gustum vero magis obtusos offerunt (languet vita plastica); somnus de nocte nullus, aut crebro interruptus somniis vivacioribus, iracundis, terrificis; neque deliria alacriora, subinde fortiora desunt, quae in pueris et infantibus cum somnolentia et sopore saepe alternant.

§. 146. His symptomatibus notata febris ad *noctem* exasperata, horis matutinis parum mitigata cito increscit, ita quidem ut 3 aut 5 dierum spatium emensa ad summum jam vehementiae *culmen* evahatur: ab hoc termino deinde per aliquot dies aequabili tenore persistit, ultimo remissionem quandam matutinam et molimina critica exhibens, donec circa 7. aut 9. diem crisi solemnii solvatur, celeri abhinc passu decrescens, et aegrum vitae restorationi relinquens.

§. 147. *Crisis* salutaris partim per *sudorem*, qui sat lar-

gus aestum febrilem moderat; partim per *urinam*, quae copiosior nunc et turbida emissa, *sedimentum* leve, non parcum deponit; partim per *haemorrhagiam*, sanguinis sat multum ut plurimum e naribus, rarius e vasis haemorrhoidalibus, vel utero fundentem absolvitur.

§. 148. Si vero haec febris in hominibus exardescit, labe quadam morbosa jam antea notatis; si causis violentis excitata in corpore saevit; si organa nobiliora adgressa fuit; si cum alio morbo connubium inivit, aut illi symptomata accedit: infaustam certe aegro sortem minuat, ut quae vires vitales exhauriendo, aut organa nobiliora paralyti conficiendo, inflammatione, opplezione, effusione opprimendo, vel ipsa aegrum morti tradit, vel in febrem adynamico-nervosam, acutam aut lentam, vel in putridam transgressa, vel et vitia organica et mala chronica relinquens, morbos hos secundarios excitat, qui aegrum possunt tradere orco.

§. 149. Ex his jam, non eandem utique febris inflammatoriae rationem esse patet, haec enim subinde *simplex*, saepius cum inflammatione locali *composita*, vel huic etiam aut alii adfectioni morbosae (v. g. congestioni ad cerebrum) *symptomatice* adjuncta, vel et alio quocumque morbo *complicata* incedit, nunc passu citato, *acuta*, nunc gradu retardato, *lenta*, decursum absolvens (v. g. si accedit inflammationi chronicae, magis occultae).

§. 150. *Aetiologia*. Originem febris inflammatoriae, et causas unde oritur, examinantibus, major in multis hominibus ad hanc febrem *dispositio* occurrit; qua fit, ut eandem, data occasione, facillime subeant. Prae aliis in hoc febris genus juvenes et viri, in genere homines robusti, sanguine turgidi, temperamento cholericum et sanguineum distincti, vitam hilarem ducentes, carnes, aromata, vina amantes, corpus in aëre libero exercentes inclinant: quin tamen inde concludendum sit, imbecilliores, teneriores, sensiliores, infantes, pueros, feminas, viros delicatos, urbanos, ab hoc morbo immunes ubique vivere, quod experientia quotidiana abunde docet. Est praeterea singularis constitutio epidemica, aëri praeprimis puro, denso, frigido, intensius electrico inhaerens, hinc frequentius *hiemalis*; attamen nonnunquam per longius temporis spatium extensa, consequenter *stationaria*. Nec deest constitutio *endemica*, locis altioribus et montibus prae caeteris solennis, qua multi simul homines ad febrem hanc praeparantur.

§. 151. *Causarum occasionalium* vices omnes potentiae

sive externae sive internae agunt, quae sanguinis molem, indolem illius phlogisticam et oppositionem internam, vel vitae sensiferæ in sanguiferam efficaciam ultra normam adaugent. Huc nunc omnium primo *frigus* intensum, et *calor* frigus prægressum excipiens, (non frigus, sed calor est causa febris; nam si frigus intensum corpori applicatur, frigus hoc producit caloris e corpore subtractionem, et erumpens calor animalis in causa est, ut provocentur illae revolutiones, quae febrim adnuntiant); deinde *aër* purior, densior, electrico potentior referuntur; præterea *nutrimenta* larga, carnosa, aromatis gravia; *potulenta* vinosa, aut oleo æthereo imprægnata; *medicamenta* stimulantia, calefacientia, intempestive perverseque adhibita, sive cuti externae, sive alii atrio applicata; *venena* et *contagia* inflammantia (v. g. variolosum, morbillosum, scarlatinosum). Hæ sunt potentiae externae.

Deinde et potentiae quaedam ad ipsum corpus humanum ejusque functiones referendae in generando hoc morbo non exiguam scenam agunt: *sanguinis evacuationes*, quae homini in consuetudinem et necessitatem jam cesserunt *retentae* vel *suppressae* (sic, v. g., homines qui certis anni temporibus venaesectionem patiuntur, stimulum sanguinis non perferre possunt nisi ad certam quantitatem; et si quantitas hæc major evadit, ex necessitate ad venaesectionem coguntur: pertinent præterea huc retentus fluxus hæmorrhoidalis, menstruus, epistaxis solita suppressa); organorum singulorum *irritationes* graviores, læsiones, vulnera, et natae inde inflammationes locales; tandem *motus* musculorum nimius, nimia *mentis* intensio, vehementes *animi* turbæ, amor incensus, gaudium effrene, ira violentior, febris, de qua loquimur, culpam gerunt. Hæ sunt potentiae internae.

Potentiae hæc tum *externae* tum *internae* ad causas febris *remotas* referuntur.

§. 152. Quae ex causarum nunc adsignatarum concursu enascitur mutatio morbosa, causam febris inflammatoriae *proximam* sistens, ex natura illarum causarum, et effectibus quibus sese enunciat morbus, facile colligitur. Et morborum certe pauci sunt, quorum adeo ac febris inflammatoriae pateret natura. Omnia enim, quae febrim inflammatoriam generant et ab illa generantur, in eo consentiunt, quod vitam sanguinis et systematis sanguiferi nimis intensam et concitatam testentur; quae (vita) iterum oppositionem dynamicam majorem, tum inter ea quae sanguinem constituunt, tum

inter sanguinem et vasa quibus continetur, et inter vasa et qui his prospiciunt nervos (praeprimis gangliorum) supponit: ex qua (oppositione) altior, quem sanguis prodit, nisus plasticus, immodica cordis irritabilitas, et quae ex his iterum proveniunt, facile explicantur.

§. 153. *Prognosis*. Sic et qui ex febris inflammatoria instat, eventus hujusque prognosis ex perspecta illius natura sat facile colligitur.

Altior, quae in hac febris viget, vitae potentia alacriorem etiam vim naturae medicatricem involvit, quae ad febrim inflammatoriam *simplicem*, nec effreui violentia saevientem superandam, et per crises salutare solvendam, sat saepe sufficit. Sed quamvis *gravior*, efficaciori remediorum, quae praesto sunt, adparatui recto tempore adhibito rarius resistit; at tamen penitus *neglecta*, perverso regimine aut diaetetico aut medico tractata, hisque omnibus ad summam vehementiam evecta nec suis caret periculis. Sub his enim conditionibus huic febris singularis organa singularia (organum nobiliora) *incendendi*, sanguinis mole obruendi (congestionem), vel et secretionibus morborum, *metastasis* opprimendi nisus adhaeret, quae et *metaschematismum* saepe molitur, exhaustis per nimiam intensionem viribus, in febrim characteris oppositi: adynamico-nervosam aut putridam convertenda. Tota caeteroquin prognosis morbi simplicitate aut compositione, intensione, decursu, nec non aegri constitutione et reliquis conditionibus, sub quibus aeger versatur, tum internis tum externis regitur.

1) Febris inflammatoria *simplex* minus discriminis involvit, quam cum inflammatione locali *composita*, aut cum alio morbo *complicata*, aut alii morbo *symptomatis* ad instar accedens.

2) Quo *lenior* haec febris, eo facilius aut naturae aut arti cedit; quo *vehementior*, eo majorem medici attentionem, et eo efficaciorum remediorum apparatus, ut prospere solvatur, desiderat.

3) Ad *decursum* respiciens medicus, salutarem exitum sperat, in qua circa diem decursus 5, 7, aut saltem 9, *critica* jam *molimina* observantur. His enim temporibus dolor capitis sub exacerbatione cum plenitudinis et pressionis ad nasum usque extensae, aut vertiginis sensu, cum narium pruritu et pulsu dicroto, instantem *haemorrhagiam per nares criticam*; cutis mollescens, subhumida, pruriciens, cum pulsu

(antea duro, contracto) molliore, liberiore, expanso, undoso, *sudorem criticum*; frequentior vero ad mingendum conatus cum pruritu sub mictu per urethram extenso, et simili pulsum mitigatione, *urinam criticam* promittunt.

Quae vero sine omni ad crises nisu ad diem 14. usque protrahitur febris inflammatoria, aut metaschematismum aut metastasin minatur, nisi morbi cujusdam rebellis progenies symptomata sit.

4) *Aegri etiam constitutio*, et rerum externarum, quibus aeger et morbus exponuntur, conditio sua prognosi argumenta largiuntur: corpora athletica, sanguine nimis turgida, gravius ac homines habitus magis normalis a febre inflammatoria detinentur; quae tamen maximas tenerioribus, imbecillioribus, habitu phthisico notatis (insidiatur pulmonibus tenerrimis), aut vitium organicum gerentibus, insidias struit. (Viscera v. g. indurata, obstructa, facillime inflammantur; quae inflammatio magnopere in suppurationem et malignam exulcerationem nititur.)

5) Quenam ex *rerum externarum* ad morbum et aegrum rationibus petantur prognosis argumenta, ex jam dictis generalibus facile colligitur.

§ 154. *Therapia*. Morborum certe pauci sunt, quorum medela a primis medicinae temporibus ad nostros usque dies adeo constiterit, ac febris inflammatoriae, cui si *Erasistratum* et paucos alios excipias, omnis aevi medici methodum *antiphlogistico-debilitantem* opposuerunt; cujus autem methodi antiphlogistico-debilitantis negotia in eo versantur, ut 1.º omnia quae aegrum lacescunt, et systema sanguiferum exagitant, removeantur; ut 2.º remedia tum medica tum diaetetica, quae nimium vitae impetum, in sanguine et systemate sanguifero robur componunt, in usum trahantur; ut 3.º crises, quae insequuntur, remediis nunquam characteri febris contrariis promoveantur.

§ 155. I. Omnium igitur primo prospiciendum est, ut frigus intensum aequae ac calor nimius, aer nimis siccus, electricus, cibus animalis, potus vinosus aut aromaticus, medicamenta stimulantia quaecumque, sive sub diaphoreticorum, sive sub aliorum titulo adhibeantur; ut corporis et animi motus ab aegro absint; ut irritamenta aliena, sive corporis interiora, sive cutem externam obsidentia remediis mitissimis removeantur; ut combustiones, laesiones, vulnera, et aliae irritationes morbosae mitigentur.

§. 156. II. His praemissis, medicamenta adplicanda sunt, effrenem sanguinis et systematis sanguiferi uisum et renisum vitalem directe moderantia, quorum complexus apparatus *antiphlogistico-debilitantem* constituit.

Horum remediorum princeps *sanguinis imminutio* est, cujus certam partem systemati sanguifero, instituta *venaesectione*, *hirudinum* adplicatione aut *scarificatione*, subtrahimus.

Eadem enim ratione, qua sanguinis moles, qui prima omnis vitae germina constituit, corpori subtrahitur, eadem etiam ratione illius vigor, turgor, calor, vis stimulans et plastica decrescunt, cordis et vasorum facultas motrix, sanguine non solum excitanda, sed generanda et regeneranda moderatur: ut igitur vix sanguinis mole imminuta, omnis nisus et renisus vitalis, qui inter sanguinem et vasa viget, et eo ipso sanguinis inflammatorii impetus illico restringatur.

Inter omnes autem sanguinem evacuandi modos *venaesectio* effectu quem praestat citissimo, palmam sibi vindicavit: dum e vulnerata vena majore sanguis cum impetu et pleno rivo fluit, non tantum plus cruoris et fibrae, quam ex vasis minoribus hirudinum suctione aut scarificatione depletur (evacuatur e vasis minoribus sanguis magis tenuis), sed et qui inde emergit effectus multo citius ad organa systematis sanguiferi centralia et per universum inde corpus diffunditur. Ubi cumque autem magnum hoc medicamentum a morbo exigitur, *quantum* sanguinis subtrahendum, *quo loco*, *quo tempore*, et *quoties* repetenda sit venaesectio, a medico definiendum erit.

§. 157. *Quantum* sanguinis e vena secta mittendum, et *quoties* sub eodem morbo repetenda sit venaesectio, febris vehementia, et in organa nobiliora vis, aegri constitutio, epidemiae regnantis ratio, venaesectionis forsitan praemissae effectus, nec non sanguinis emissi conditio medico dictabunt.

Respectu morbi: quo vehementior febris inflammatoria, et quo major impetus ad organa nobilia, eo plus sanguinis subtrahendum, cujus in morbo mitiore minus, in mitissimo nihil deperdatur.

Aegri constitutionem aestimantes, primum *aetatis* rationem habemus, non immemores, aetatem juvenilem et virilem majorem perferre sanguinis jacturam, quam senilem et infantilem; et dum vir validus a librae unius emissionem non adeo adficiatur, tenellum infantem unciarum aliquot jactu-

ram jam gravius adficere: quo robustior caeteroquin homo, quo magis sanguine turgidus, quo clariora temperamenti fervidi lineamenta offert, quo magis évacuationibus frequentioribus jam assuetus est, eo minus ab uberiore sanguinis emissione timet medicus, in qua subministranda eo cautior erit, quo magis sanguini parcendum esse, momenta contraria monent.

§. 158. *Quoties* instituta jam venaesectio in eodem morbo repetenda sit, hoc praeter momenta lucusque enumerata, *effectus* etiam, quem praegressa venaesectio exeruit, nec non *sanguinis emissi conditio* demonstrabunt. Quoties praemissam sanguinis emissionem aliquot *levamen* excipit, attamen *non constans*, morbo iterum recrudescenti cedens, toties reiteranda erit venaesectio, cujus repetitio eo magis urget, quo largius, densius et firmiter *coagulum* emissi sanguinis, et quo crassior et tenacior, qua sanguis tegitur, *crusta inflammatoria* est: quin tamen haec crusta sola praesens venaesectionem repetere ubique jubeat, et absens interdicat, cum ejusdem generatio a momentis saepe dependet ad morbum non pertinentibus (v. g. a celeritate, qua sanguis e vena secta erumpit, a conditione aëris, imo a forma vasis, in quod excipitur). Semper ad totum morbum est respiciendum.

§. 159. Sanguinis copiam *singula vice* e vena secta emitendi medicorum practitorum plurimi pondere aestimare solent, ita ut in nostro climate a libra una medicinali, pro diversa morbi et aegri ratione, ad uncias 8, 6, 4 descendant; alii vero *ex effectu* potius, quem sanguinis profluvium inducit in morbum et aegrum, illius quantitatem determinant. Sunt medici, qui venaesectionem largam non putant, nisi sanguine ad *leipothymiam* usque profundam emisso; quod quidem in febre inflammatoria simplici neque necessarium, neque in morbis gravioribus non anceps videtur, cum sanguis phlogisticus in coagula per se prouissimus: in tali statu leipothymiae stagnans in vasis suis coagula producere potest, quae obstacula circulationi struunt, nec non symptomata lethalia generant. (Inventi non raro sunt polypi ex sanguine coagulato formati.) Hinc aliorum consilium, qui medicum venaesectioni *adstare* jubent, ut ex mutationibus in pulsu et aegro definiat quantum sit emittendum, et quando vulnus claudendum, utique magis est comprobandum.

§. 160. De *loco*, ubi vena aperienda sit, definiendo in febre inflammatoria *simplici* minus solliciti sumus, cum in

quacumque corporis parte vena majore, vulnere sat amplo aperta, effectus sat cito ex hac parte in totum systema sanguiferum redundat. Ubi vero febris inflammatoriae *adfectio localis* gravior, inflammatio, congestio accedit, in plurimis casibus in loco parti adfectae quousque licet proximo, in nonnullis in remoto venam secare juvabit. Quod, dum de adfectionibus illis tractabitur, accuratius exponendum erit.

§. 161. Salutaris venaesectionis effectus non parum a *tempore* quo instituitur, nec non a *celeritate* qua sanguis e vulnere erumpit, dependet. Sub hoc respectu, ratione comprobatum et experientia confirmatum est, unam venaesectionem *sat largam, morbo vix exorto* institutam, plus praestare, quam plures quae morbo jam provento opponuntur: deinde majorem esse unius venaesectionis effectum, sub qua sanguis e vulnere amplo cum impetu pleno rivo erumpit, quam si ex vulnere angusto lente fluit, aut laboriose emulgetur (sanguis quasi colatur).

Nullum caeteroquin morbi tempus, nullum studium, nulla dies, nullus, qui forsitan adest, fluxus cruentus, venaesectioni a morbo constanter postulatae repugnat.

§. 162. Alterum sanguinem deplendi remedium *hirudines* largiuntur, quae vasa minora et contextum cellulosum a sanguine, quo turgent, liberant; et in illis casibus, ubi mala a congestionibus sanguinis nata tollenda, aut fluxus menstruus, haemorrhoidalis, aut quicumque alius cruentus vel revocandus, vel pro tempore supplendus est, egregium saepe remedium praebent. Sed cum hic effectus a vasis minoribus et exterioribus ad organa centralia systematis sanguiferi tardius propagatur, a systemate universo minus percipiendus, hirudines etiam a medicis expertis in febre inflammatoria simplici rarius adhibentur, et solum aegris, qui a minori sanguinis jactura jam gravius adficiuntur, imbecillioribus, tenerioribus, praecipue infantibus applicantur. Falluntur tamen, qui in hirudinibus remedium mere locale vident, a quo pro vita universa parum timeendum sit; cum medicina hodierna (quae in sanguine vitae et mortis fontem agnoscit) nimis crebram observandi occasionem habeat, ab immodico et intempestivo hirudinum usu aegrum plus, quam morbum, debilitari.

§. 163. Minus adhuc ob irritationem majorem, quam causant, *scarificatio* et *cucurbitarum cruentarum* applicatio in febre inflammatoria simplici placet.

§. 164. Remediorum sanguinem evacuantium usui tamdiu insistitur, usque dum effrenis vitae in systemate vasorum impetus restrictus, et febris inflammatoria in irritativam simplicem (sive erethicam) reducta fuerit, crisesque instant.

§. 165. Praeter remedia haec, sanguinem evacuantia, etiam illae, quae jam sub febris erethica enumerata sunt, *mucilaginosa*, *acidula*, *salina* adplicationem inveniunt.

Inter salina *nitrum* (nitrus lixivae, kali nitricum depuratum) praecipuam sibi fidem merebatur, ad dr. $\frac{1}{2}$ – dr. 1 pro adulto de die, emulso aut decocto, praecipue mucilaginoso, additum subministrandum, quod calorem febrilem compe-scens, evolutionem materiae sanguinis plasticae moderat.

§. 166. His recentiores *mercurium dulcem*, *digitalem purpuream*, et ipsum *plumbum aceticum* addunt.

Mercurium dulcem, quamvis magnam hujus remedii vim in moderando nisu plastico non ignoremus, nec salutare ejus in inflammationibus localibus effectus negare audeamus; attamen ad antiplilogistica vulgaria referre non possumus, cum non eudem ac reliqua antiplilogistica effectum refrigerantem exerit, cum longius adhibitus diarrhoeam, salivationem, et ipsam cachexiam mercurialem inducit (orta diarrhoea aut salivatione, augetur secretio seri, et sanguis privatur sero, fitque magis phlogisticus, quo inflammatio non infringitur, sed et magis extollitur), et cum medico, cujus non solum est morbum praesentem tollere, verum et futurae saluti prospicere, indignum putamus, morbo adeo simplici, vulgari et saepius occurrenti, uti febris inflammatoriae, remedia opponere, quae quo frequentius adplicantur, eo magis et certius nocent, et alia negligere, quorum virtus in hac febris per saecula jam comprobata est.

Neque *digitalis purpurea* ad vera antiplilogistica referenda est, ut quae in febris inflammatoria haec augere visa est. (Effectus moderans, quem digitalis exerit, non est primarius, sed secundarius, primarius est stimulans). De lento autem et clandestino illo veneno, *plumbo acético* in febris inflammatoria adhibendo nec unquam cogitavit medicus verus, qui vitam in febris inflammatoria moderandam, et non extinguendam esse meminerit.

§. 167. Remedia antiplilogistica, stricte talia, ea forma et dosi adhibenda sunt, ut alvi excretionem *leniter* promoveant, quin tamen uberiores illius fluxum causent. Nam, quamvis alvus clausa febrim exasperat, et remediis per clysterem adpli-

catis movenda sit, attamen in febris inflammatoria sine nota gastrica vim morbi potius acuunt, et regularem morbi decursum perturbant remedia alvum nimium evacuantia; sanguis enim ex ipso morbo nimis plasticus seri jacturam non fert, quo indoles illius phlogistica adhuc magis augetur, crisesque salutare per urinam et sudores retinentur.

§. 168. Ipse autem remediorum antiphlogisticorum usus ad praecepta generalia ita instituendus et morbo adcommo- dandus est, ut *morbi vi et gradui* respondeat. Sicuti enim medicus in adhibendis remediis antiphlogisticis nimis parcus nihil contribuit ad morbum infringendum, ita et ille, qui abutitur illis, nocet; quod praecipue de sanguinis fusione valet, qua febris inflammatoria facile in adynamicam convertitur, vel salutis pristinae recuperatio per annos retinetur.

§. 169. Hic nunc remediorum antiphlogisticorum apparatus *regiminis* quoque *diaetotici antiphlogistici* subsidio indiget, cujus praecipua momenta sub febris critica jam exposita sunt: calor nimirum externus sit moderatissimus, quin tamen aeger frigeat; aër ab influviis nocivis liber sit, attamen non perpetuo renovatus, nec siccissimus; absint remedia, quae ad aërem corrigendum vulgo adhibentur, v. g. chlorum, lignum juniperi accensum, et quaecumque alia; cibus sit parcus, tenuissimus, ex solis plantis confectus; potus vero largus, emolliens, acidulus, nitrosus, tantummodo egelidus, vel sub febris increscente, aut ab inflammatione locali immuni subfrigidus; caveat sibi aeger a sermocinatione protracta, gaudio effreni, ira, etc.

§. 170. III. *Convalescens* a febris inflammatoria cito plerumque restauratur, et raro roborantium et vinosorum remediorum usu opus habet, sed solum nutrientibus rite adhibitis pristinam sibi salutem recuperat, quin imo residua a morbo vix superato ad eundem vel ad finem dispositio major convalescentem monet, ut ad praematurum nutrientium generosiorum, aromaticorum, vinosorum, vel roborantium usum seducatur.

GENUS III.

Febris continua adynergico-nervosa.

§. 171. Morbus, quem nunc pertractandum adgredimur, vitae humanae admodum insidiosus est; quem medici alii (Reil etc.) *typhum*, alii *febrim nervosam* simpliciter dicunt, quia tamen horum nominum eadem et constans sit apud omnes auctores significatio.

Sunt qui sub *typho* omnem febrim adynergicam intelligunt, ipsum typhum in *nervosum* et *putridum* subdividentes; sunt alii, qui solis febribus cum *sensu stuporis* conjunctis typhi titulum concedunt. Adhuc magis diversus inde *febris nervosae* sensus est, cum alii ad morbi *substratum*, alii ad ejusdem *characterem* hoc nomen referunt. Nonnulli vimirum omnem febrim cujuscumque characteris *nervosam* dicunt, quamprimum *impetum praecipuum* ad *systema nervosum* convertit; dum interea longe plurimi omnem febrim *characterem adynergico* distinctam febris nervosae nomine insignant.

Ut igitur omni confusioi occurramus, febrium genus, de quo nunc loquimur, *febrim adynergico-nervosam* dicere consultum visum est.

Febris autem adynergico-nervosa illud nobis febrium genus est, in quo motus systematis sanguiferi quamvis alacriores cum universali debilitate vitali, in vita nervosa praecipue conspicua, constanter conjunguntur.

§. 172. Modus, quo febris adynergico-nervosa decurrit, et quibus se manifestat, symptomata rite definiri nequeunt, nisi diversae speciei, sub qua haec febris adparet, ratio habeatur, et divisio, quae practicis solennis est, praemittatur.

Respectu originis febrim adynergico-nervosam *primariam* a *secundaria* distinguunt observatores egregii et omni fide dignissimi; *primariam* illam dicentes, quae jam a primis initiis characterem adynergico-nervoso notata adparet, quia cum alia quacumque febrim cohaereat; *secundariam*, quae ex alia ad certum gradum intensa floris ad instar evolvitur.

Non desunt tamen medici, caeterum praestantissimi, qui divisionem hanc inane declarant, nec ullam existere febrim adynergico-nervosam primariam contendunt: cum ex una eademque causa et veram nervorum debilitatem, et vasorum simul irritationem oriri, rationi repugnet. Ast vero, si hoc argumentum valeret, *neque* febris adynergico-nervosa

secundaria existere possit, cum et haec vasorum erethismum aliquem, et veram debilitatem nervosam involvit. Ad febrim excitandam et sustinendam *non absoluta ubique* virium in systemate sanguifero exsuperantia requiritur, cum (id quod jam supra dilucidavimus) feбри non raro vitae irritatio cum robore infracto subest. (Status irritativus varius esse potest: 1.^o erethismus cum motu celeriori, sed *energia interna normali*; 2.^o erethismus cum energia interna *intensa*; 3.^o erethismus cum energia interna *infracta*.)

Respectu decursus, febris adynamico-nervosa in *acutam* et *lentam* dividitur, prout aut majori violentia exardescens inter 2, 3, 4 hebdomadam spatium decursum suum absolvit, aut fallaci ab initio lenitate irrepens per longius tempus (per menses) extenditur, vitae non minus insidiosa.

Pro varia ratione, qua vita sensifera adfectam se enuntiat, eadem haec febris in *nervosam versatilem* et *nervosam stupidam* a J. P. Frank discernitur; in quarum prima agilitatem morbosam, in altera stuporem vita sensifera offert. Attamen est, cur fateamur, imaginem, qua supra dictus auctor febrim hanc ad vivum caeteroquin depingit, typhum potius contagiosum, vel febrim putridam repraesentare.

Magui etiam momenti februm nervosarum diversitas est, quae ex illarum aut *simplicitate*, aut *compositione*, aut *complicatione* procedit.

Inter complicatas, quo febris nervosa *gastrica*, febris nervosa *inflammatoria*, febris nervosa *catarrhosa*, febris nervosa *rheumatica*, febris nervosa *exanthematica* etc. spectant, *febris nervosa inflammatoria* praecipuam nostram attentionem meretur, cum auctores sub uno hoc nomine *duos* morbos, qui toto coelo a se invicem differunt, intelligunt; cum *alii* febrim characteris vere inflammatorii vi sua eminente systema nervosum adgredientem, *alii* febrim adynamico-nervosam cum inflammatione quadam complicatam ita designant.

Ratione causarum excitantium febris nervosa *contagiosa* a *non contagiosa* distinguitur. Contagiosam tamen recentiores sub titulo *typhi contagiosi* ad exanthemata relegaverunt.

Nostra opera in exponenda feбри *adynamico-nervosa simplici* versabitur, ad complicationes varias solum tantum respicientes, quantum ad felicem curam instituendam necesse est.

§. 173. Febris adynamico-nervosa hominem rarius inopinato invadit, sed *prodromi* plerumque hanc imminentem adnuntiant: insolita intellectus impotentia, memoriae languor, animus prostratus, timidus, morosus, sensus externi stimulorum impatientes, gravitas artuum plumbea, cita a leviori corporis motione defatigatio, somnus inquietus, somniis ingratis, terrentibus turbatus, facies pallida, tristis, pulsus debiliores, a stimulo leviori accelerandi, appetitus prostratus, etc. miserum, quem haec febris victimam sibi elegit, per *longius* aut *brevius* tempus cruciat, donec febris ipsa *invasionem* symptomatibus sibi propriis adnuntiat.

Reliquarum febrium ad instar febris etiam adynamico-nervosa *frigore* scenam aperit, horroribus vagantibus, euntibus, et iterum redeuntibus, calore fugaci saepe intermixtis; quod dein *calor* excipit, ab initio mitior, minus constans, non per totum corpus aequaliter diffusus, paulatim increscens, tangentis sensum *ingrate* adficiens; *pulsus* frequentiores et celeriores redduntur, sed simul etiam molliores et debiliores.

Dum vero hae turbae in systemate sanguifero emergunt, symptomata quoque, quae *vitam sensiferam* graviter adfectam testantur, caput suum extollere incipiunt: aeger capitis dolorem nunc obtusum, nunc vehementiorem accusans, interrogata tarde capit, praeteritorum difficulter reminiscitur, animo prostratus, timidus, tristis; quam mentis animique conditionem vultu alienato, stupido, attonito et perterrito exprimit; sensus externi aut stupore obruuntur, aut stimuli impatientia laborant, aut falsis simulacris aegrum decipiunt: hinc cum aurium susurru aeger aut gravius aut acrius audit; oculus a luce saepe abhorrens, minus clare videt, vertigine, caligine, corpore praepriis erecto, obrutus; sensus communis insignem accusat lassitudinem, inquietudinem, et morbi, quo premitur, gravitatem.

Musculi interea *voluntarii* aegrum non amplius sustinere valent; aeger lecto adfixus vix sese erigere valet, quia susurru aurium, vertigine, caligine corripitur, vel animi deliquio mox iterum prosternatur.

Eodem simul tempore omnes, quae ad *vitam plasticam* concurrunt functiones, insignem nisus plastici languorem enuntiant: cum lingua aut pura, aut mucro albedo oblecta, frequentius sicca, appetitus silet, aut etiam ciborum fastidium adest; sitis non adeo urget, *reficientia et vinosa* saepius postulans.

Secretiones et excretiones suum a norma recessum non tam imminutione et retentione, quam *indole* depravata produnt, non ab omni in *resolutionem* nisu immunes: hinc cum ventre inflato, et ad percussionem resonante haud raro in *alvi fluxum*, vires adhuc magis debilitantem *propensio* observatur; *urinae* non adeo parcae fluunt, aut pallidae, aut obscurius tinctae; *cutis* nunc sicca, nunc sudore viscido, partiali, morbum magis adaugente, quam mitigante madida; *cutis* ipsa ab initio subinde rubra, postea pallida et lurida; *musculi* molles, flaccidi; et *collabens* totius corporis *moles* retentam simul nutritionem indicant.

§. 174. Dum autem febris adynamico-nervosa haec symptomata in lucem edit, singularis simul *inconstantia*, et mutuus *dissensus* inter haec symptomata observatur, quod attentionem medici eo magis meretur, cum ipsa haec symptomatum mobilitas et contradictio ad confirmandam diagnosin magnopere contribuat. Hinc magna caloris, pulsuum et symptomatum nervosorum variatio; hinc sub magno saepe aestu sitis parum urget, quae contra aegrum minus calentem valde saepe vexat; hinc sub febris vehementer exardescente conscientia parum turbata, et sub motibus febrilibus levioribus delirium continuum, vociferatio; hinc sub pulsu ad normalem fere accedente summum vitae discrimen instat, et sic porro.

§. 175. Haec est febris adynamico-nervosae facies, quae cum *minori vehementia* hominem adgreditur. His symptomatibus distincta ea ratione decurrit, ut *de nocte* exacerbetur, tempore matutino remittat, de die iterum magis exardescens ad 7, 9, 10, 14. usque diem increseat; quo tempore *sudor* post mediam noctem plerumque, per totum corpus diffusus, vel *levis* solum *transpiratio*, sub qua *cutis* mollescit, *calor* imminuitur, *pulsus* pacatur, *urina* sedimentum criticum deponit, morbi vim infractam, vel iugruens decrementum indicant. Aeger somno tranquillo prima vice reffectus sibi magis conscius, vultu sereno medicum advenientem laetus salutatur; et quamvis nocturnis adhuc exacerbationibus, sed levioribus, aliquoties tentatus, attamen a praecipuis morbi symptomatibus liberiores se sentit, usquedum a febre penitus liberatus, somnus tranquillus, appetitus acrior etc. procedentem convalescentiam confirmant.

§. 176. Attamen non ubique febris adynamico-nervosa crisis tam manifestis terminatur; est potius, ubi absque

crisibus solemnibus morbi symptomata paulatim solum recedunt et absconduntur, aegerque lento gradu ad pristinam salutem redit.

§. 177. Ast non semper tam mitis incedit febris adynamico-nervosa, quae potius nimis frequenter ad *vehementiam atrocem* aegri perniciem molientem intenditur. Haec autem intensio partim per *systematis sensiferi* turbas continuo incrementales, partim per phaenomena, *nisum plasticum* dejectum et *resolutionem imminentem* indicantia conspicua redditur. Nunc enim cum sensuum stupore in dies majore, deliria aut sopor, quae hucusque solum de nocte aderant, per diem etiam continuant; *musculorum debilitas* et *torpor* eo nunc augentur, ut facies tristis in longum magis trahatur; lingua ut plurimum tremula non nisi cum magno aegri labore ex ore porrigatur, tarde retrahenda; ut aeger voce debili, rauca, pauca tantum verba difficilius a medico intelligenda proferre valeat; ut corpori erigendo impar nec situm suum pro libitu moderare possit, sed supinus, denudatus, et pudoris omnis orbatus decumbat, molis exanimis ad instar ad inferiorem lecti partem trahatur; ut quae voluntati subditae sunt, excretionibus retinendis aut rite absolvendis impar sit: unde fit ut faeces aut urinae, aut inscio aut invito aegro in lectum delabantur, aut etiam urina in vesica retenta accumuletur. Attamen nec illud hic silentio praeterendum erit: quamvis maxima urinae pars retineatur, et vesica in magnam molem extendatur, exiguam tamen portionem per vices exstillare, eoque medicum, qui lecti linteamina ab urina madida invenit, eo subinde seduci, ut vesicae urina turgidae explorationem, et lotii evacuationem negligat (quibus neglectis, vesicae extensiones, paralysis etc. oriuntur). Sub extrema hac musculorum debilitate, attamen nec *motuum spasticorum* vestigia, tremores artuum, concussionem, subsultus tendinum, singultus, involuntaria occupatio manuum cum colligendis floccis, aut trahendis lecti stragulis absunt.

Haec omnia simul omnem corporis *restorationem retentam*, nisum vero in *resolutionem* praevalentem iudicant: lingua crusta nunc obducitur, siccissima, fusca, omnem saporem denegante, aut ipsam etiam sapore ingrato molestante; nullum adest appetitus, et digestionis iudicium; si venter aëre inflatus (meteorismus) accuratius tactu exploratur, et praeprimis in *regione iliaca dextra* fortius premitur, ac-

ger dolorem in profundo haerentem non verbis semper, sed facie magis distracta, vultuque suo modo alienato accusat. (Dolor ibi haerens de inflammatione maligna intestini ilei suspicionem movet, quae libentissime in *exulcerationem malam* transit.)

Hucusque Hartmann.

Quarto Nonas Martii anni 1830.

Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.





T H E S E S

I.

Medicus non solum hominis, sani aequae ac aegrotantis, verum et universi sit diligens observator naturae, quae in sua synthesisi atque analysis eandem normam, sibi ubique analogam sequitur.

II.

Axioma: quales effectus tales causae, et quales causae tales effectus, quousque saltem causarum natura non patet, non est axioma.

III.

Qualem terminum arteriae habeant, quale sumant venae principium, hodie in anatomia sub iudice lis est.

IV.

Multum offert vita in organismo humano plastica cum fermentatione commune.

V.

Congestio eadem ratione se habet ad inflammationem, uti orgasmus ad febrim: quod si ita est, febrim facile definitis definitis antea inflammatione, orgasmo atque congestione.

VI.

Habitus corporis quamplurimum est vitae internae imago.

VII.

Morbus localis, stricte talis, non datur.

VIII.

Morborum in intermittentes et remittentes divisio non nisi ipsorum formae iunxitur.

IX.

Morbus, qui vi naturae medicatrici non cedit, insanabilis est.

X.


Therapia genuina est opus morbi genesi e diametro oppositum.

XI.

Temperamentorum unius cum altero complicatio grave praebet in definiendis, curandis et praesagiendis praecipue mentis animique morbis momentum, atque ipsa rite computata multa explicat phaenomena, quae morbo stricte tali competere non solent.

XII.

Praxis medica a chirurgica toto coelo differt, hinc una ab altera, quin uni alterive male consultum sit, rite separari potest.



ERRATA – CORRIGE

Pag. 6	lin. 27	in quinque	quinque
» 7	» 25	diseccrises	dyseccrises
» —	» —	discrethisiae	dyserethisiae
» —	» 26	disaesthesiae	dysaesthesiae
» —	» 33	corpori	corporis
» 10	» 1	vasibus	vasis
» 11	» 15	minis	minus
» —	» 17	paccatus	pacatus
» 12	» 34	paroxismos	paroxysmos
» 14	» 15	aër	aër
» —	» 23	miasmata	miasmata
» —	» 24	contagia	contagia
» —	» 25	irritantia	irritantia
» 15	» 40	admittitur	adnititur
» 16	» 21	vitalitas	vitalis
» —	» 23	Ab	A
» —	» 34	F. F.	J. F.
» 17	» 18	Sele	Selle
» 18	» 9	Quin	Qui
» 28	» 21	fuerunt	fuerint
» 30	» 6	gradum	gradum
» —	» —	mutationem characteris	mutationem characteris
» —	» 25	desiderat	desideret
» —	» 32	stadiis	stadiis
» —	» —	symptomatibus	symptomatibus
» 32	» 1	metaschematismum	metaschematismum
» 34	» —	adoptanda	adaptanda
» 35	» 20	stimulantium phlogisticorum	stimulantium phlogisticorum
» —	» 41	a vento perflante	ab aëre perflante
» 36	» 39	mele	melle
» 44	» 12	exerunt	exserunt
» 56	» 10	sensu stuporis	sensuum stupore

